DE AFFIRMANDI PARTICULIS LATINIS

I. PROFECTO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA QUAM
SCRIPSIT ET AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS CONSENSU ET AUCTORITATE IN ALMA
LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE
CAPESSENDOS DIE XXIII. M. MARTII
A. MDCCCLXXXV HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

SIEGFRIED STEINITZ
SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:
CARL BRUCHMANN, Dr. phil.
MARTIN FABER, Cand. phil.
HEINRICH LEWY, Dr. phil.

VRATISLAVIAE
TYPIS H. LINDNER
1885.

MAGISTRO CARISSIMO

C. F. W. MUELLER

ET

MEDICO AMICISSIMOQUE FAUTORI

GUSTAVO FRAENKEL

Quamquam his ipsis temporibus grammaticae Latinae investigatio incredibile quantum profecit neque desunt, qui summa sagacitate atque praeclarissima doctrina praediti singulares huius disciplinae partes perscrutati sint, tamen ex his tantis studiis perpaucum commodi redundasse opinor in particularum sermonis Latini rationem. Quae voculae quanti sint momenti ad cognoscendum recteque perspiciendum uniuscuiusque linguae proprium colorem habitumque, uberius copiosiusque hoc loco disserere supervacaneum videtur, quoniam id iam inde ab antiquissimis artis grammaticae temporibus satis superque est cognitum. De Latinarum particularum usu antiquitus permulta sane a viris doctis passim commode atque subtiliter disputata sunt, tamen accuratius in hanc lubricam operosamque materiam inquirere, occupati in aliis et gravissimis studiis et quae illis temporibus multo magis erant accommodata, exceptis paucissimis omiserunt; atque quotiens in constituendo scriptorum textu hanc vel illam particulam perstringere coacti erant, eiusmodi quaestione quam paucissimis absoluta satis plerumque habebant significationem aliquam, quem quisque pertractavit, loco convenientem statuere. Quod cum fecerunt, rem perniciosissimam in hanc doctrinam induxisse videntur. Quidnam est perversius, quam iis ipsis voculis, quae praecipue uniuscuiusque sermonis proprietatem prae se ferunt et quae non nisi ex intima linguarum indole vel natura intellegi possunt, certa quadam significatione per vim imposita rem acu tetigisse arbitrari: quasi omnino cum ceteris recentioribus linguis tum patrio sermone subtilia illa Graecae Latinaeque orationis discrimina, quae sentias facilius quam explanes, prorsus pariter restricteque reddi aut explicari possint? An orationis ingenium recte perspexisse videaris, cum, ut exemplum

afferam, quidem particulam nostro *zwar* vel Graecum γέ *wenigstens* reddideris? Neque igitur mirum de permultis huc pertinentibus voculis falsas, ne dicam perversas irrepsisse opiniones per longum litterarum spatium inveteratas, ex quibus etsi pleraeque iam pridem explosae et reiectae sunt, tamen multae ne hodie quidem evanuerunt. Quod cum in omnes partes valet, tum maxime in affirmandi particularum rationem, quae infra fusius uberiusque explicabuntur. Si in ullam, in hanc profecto doctrinam cadit Godofredi Hermanni illud (opusc. I. 148): »Nulla res plus damni intulit litteris quam inertiae filia credulitas; nam sicut in omni negotiorum genere quaedam reperiuntur inveteratae opiniones, quas alii ab aliis acceptas servant religioseque tuentur ... ita etiam in litteris ... plerique magis quid ante se alii dixerint quam illi an id recte dixerint, student cognoscere. Quo fit, ut denique longa consuetudine ad credendum inducantur mirantes ac paene stupentes si quis aliter sentire audeat.« — Sed redeat oratio, unde aberravit. —

§ 2. Quod attinet ad libros, qui sunt de Latini sermonis particulis, primum vel potius unum laudandum censeo Handium, qui amplissimo copiosissimoque opere ab omnibus viris doctis in sempiternum haud scio an maximam gratiam inierit. Quamquam autem illius insignem operam curamque adeo non parvi aestimare audeo, ut contra tantum ei impertiam laudis, quantum doctissimo viro atque spectatissimo debetur, tamen vix potest negari eius libro, ut pro illa aetate unice erat praestantissimus maximaque diligentia perpolitus, ita hodie haud ita multum tribuendum esse. Nec mirum. Maius spectavit Hand, quam pro unius viri viribus. Quid de hoc libro iudicandum sit, commodissime dicit Ribbeck in praeclarissimo illo libello, qui inscribitur: Beiträge zur Lehre von den lateinischen Partikeln, Lpz. 1869 p. 1: »Für das Lateinische bedarf Hand's Tursellinus, immer noch die einzige umfassende Arbeit auf diesem Gebiete, einer vollständigen Umgestaltung und Erneuerung, wobei kein Stein auf dem andern wird bleiben können.« Ribbeck, qui complurium Latinae linguae particularum etymologiam et usum, imprimis poëtarum comicorum, illustravit, ipse quod offert viris doctis specimen talis quaestionis nominat, alios, ut accuratius hanc rem indagent, admonens.

Qua via et ratione particulae Latinae magno cum litterarum commodo pertractentur oporteat, luculentissime demonstrasse videntur et Fleckeisen uberrima illa de *Ne* particula affirmativa disputatione, quae invenitur in altero Philologi volumine p. 61 sq.,

et C. F. W. Mueller de *Sive* particulae usu libello (über den Gebrauch der Partikel *sive*. Berlin 1871). Ex illo tempore exstiterunt complures novam ab illis viris doctis significatam viam ingressi, qui non frustra singularium particularum usum diligenter explicaverunt, quo in numero imprimis est habendus Bastian Dahl natione Norvegus (die lateinische Partikel *ut*, Kristiania 1882). Etsi igitur hac aetate homines litterarum studiosi magis magisque huius grammaticae Latinae partis studio retinentur, tamen ut in multis rebus, ita hac quoque in re Latinae litterae prae Graecis iniquitate rerum premuntur, cum Graecis particulis enodandis multo magis clarissima litterarum lumina operam dederint, velut Hartung, Baeumlein, Kvičala, Curtius, Ludovicus Lange.

§ 3. Quae cum ita sint, haud inanem me suscepturum laborem confido, cum hac data occasione de affirmandi particulis Latinis, praecipue de ratione, quae inter *profecto* particulam ceterasque intercedit, pauca iam pridem excogitata, nunc diligentius pertractata profero. Namque cum ante hos complures annos praeceptis institutisque magistri carissimi C. F. W. Muelleri, principis criticorum Tullianorum, edoctus essem de vera atque sincera affirmandi, quae dicitur, particulae *profecto* vi et notione, accuratius in hanc rem inquirere constitui et ostendere, quam recte magister ille pro sua eximia quadam atque illustri sermonis Latini scientia iudicaverit. Quid ipse de hac re sentiat, significat Mueller planissime commentarii in Ciceronis Laelium p. 14, cum dicat: »*Profecto* wird allgemein als Versicherungspartikel angesehen. Dies ist ganz falsch. Es bekräftigt nie das Gesagte, sondern bezeichnet im Gegentheil, wie im Deutschen *jedenfalls*, *sicherlich*, *bestimmt*, besonders *gewiss*, dass der Redende die Sache nur als seine persönliche Vermuthung hinstellen will,« similiter ad Ciceronis de officiis librorum primi paragraphum alteram: »*Profecto* heisst nie wahrlich und dient nie zur Beteuerung, sondern bezeichnet wie das Deutsche *jedenfalls, sicherlich, gewiss,* eine nur subjektiv, nicht objektiv sichere oder gewisse Voraussetzung.«

His praemissis restat, ut paucis disserendum esse videatur, qua via omissis partiendi et definiendi spinis progrediamur oporteat. Ut mihi ipse certum quoddam iudicium de hac re fingerem, coactus sum cum omnes scriptores, quos vel parvi momenti ad augendam hanc quaestionem fore arbitrabar, tum praecipue Ciceronem persequi, omnes, qui huc pertinent, locos colligere, digerere, examinare. Qua in re quoniam paene nullo litterarum subsidio (excepto prae-

stantissimo Mergueti lexico) sum adiutus, veniam precor, si unus alterve locus tot tantaque volumina legendo percurrentem fugerit.

Temporum ordine diligenter servato ab antiquissimis litterarum Latinarum monumentis usque ad posteriorem aetatem progredientes primum de poëtarum comicorum usu disputabimus, deinde uberius copiosiusque, ut res fert, de Tulliana sermonis consuetudine, tum de aliis multis scriptoribus ad hanc quaestionem adhibitis, quos, cum ad hunc locum pervenerimus, nominatim proferemus.

§ 4. Antequam ad ipsam accedamus disquisitionem, non alienum videtur, ut quaestioni certa quaedam fundamenta iaciamus, breviter etymologiae rationes perstringere, quae quandoquidem in promptu est hodieque vix a quoquam impugnatur, paucissimis verbis absolvi potest.

Sine dubio *profecto* particula originem repetit a *pro facto*, quo certo iudicio quid non tam in opinione versari vel cogitatione, sed re vera esse significetur, ut nostri dicunt »*in der That, thatsächlich, wirklich*«, qua de causa fieri non potest, quin primitus affirmandi vel potius asseverandi particula *profecto* iudicanda sit. Quod ita se habere, quis est, quin concedat? Eo magis mireris, quod in hac tam plana atque perspicua re Hand omnino alterius sententiae mentionem facit, qua putatur *profecto* e participio profectum esse ortum, cum dicat (Tursell. IV. 595): »Non absurda mihi videtur sententia, qua e participio profectum natum dicam adverbium sicuti merito, inopinato, subito.« Quam interpretationemvel inde apparet esse absurdam, ut Handi verbo utar, quod a prosodiacis legibus prorsus abhorret, cum Ritschl (proleg. ad Plauti mil. gl. p. XXVI) luculentissime ostenderit *profecto* particulae primam syllabam semper esse correptam, participii vero producta sit. Qua de obsoleta hodieque improbata sententia pluribus verbis disputare longum est itemque de veterum grammaticorum praeceptis sive potius nugis ineptiisque: Pompei comment. V, 251 (Keil); Cledon. ars V, 68; anecdot. Helvet. ed. Hagen. p. 261. Priscianus unus ut multis partibus ita hac quoque in re recte suspicatus videtur de vera huius particulae significatione, cum eam non in iurativis particulis ut *edepol, ecastor* numerat, sed cum confirmativis componit *scilicet, quippe, videlicet, nempe* (II, 85); quibus illud certe cum *profecto* particula commune est, quod subiectivae, ut aiunt grammatici, sunt potestatis.

Primaria notione ex etymologia constituta priusquam videamus, quemadmodum particulae significatio deflexerit in illam, quae ab

origine prorsus abhorrens posteriore aetate stabilita est, paucis in universum de tali significationis commutatione, quae in adverbiis potissimum occurrit, disseremus. Has ipsas voculas facillime pro sua mobilitate et volubilitate primariam notionem exuere auctor est JACOBUS GRIMM (deutsche Gramm. III, 122). Ut quod dicit exemplo quodam comprobet, hoc ipsum vocabulum commemorat, quod miro consensu eandem conversionem quam *profecto* expertum est, particulam *giwisso*. Ut hanc ex veriloquio (rad.: vid, id, wizan) affirmativae particulae munere fungi oportet, sensim autem sic est diluta atque infirmata, ut hodie induerit significationem *vielleicht*, *wohl*, *wahrscheinlich*, ita *profecto* quoque insignem illam affirmandi vim amisit. Similiter TOBLER de hac re disputat (Zeitschrift für Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft S. 371). Diligentius tales primariae potestatis commutationes persequi, quamvis sit utile, non est huius loci, sed illud significemus non numquam cum locutiones insignes tum structuras ad id esse referendas, quod procedente tempore principalis etymologiaeque consentanea notio neglegi aut falso intellegi coepta est.

I.

DE USU PLAUTINO TERENTIANOQUE.

A.

§ 1. Ut antiquissimum particulae *profecto* usum exploremus, repetendum arbitror a poëtis comicis iisque a Plauto Terentioque, quoniam quae ex superiore aetate exstant fragmenta minime vel potius nihil ad nostram quaestionem pertinent. Quod ad Plautinum usum attinet, plerumque usitatissima ratione usurpatum videmus *profecto* similiter atque ceteras particulas *hercle*, *mehercle*, *edepol*, *pol*. At haud mediocris locorum numerus iam hic occurrit, quibus *profecto* paulo insigniorem vim alienamque ab illa communi prae se fert; quamquam praemonendum est non usquequaque, ut res fert, certo iudicio, aut hanc aut illam significationem statui oportere, cum in hoc litterarum gradu non certis legibus *profecto* particulae usus astrictus esse videatur et ex sensu magis totiusque circuitus conexu quam aliis testimoniis iudicium nobis sit faciendum.

Omissa igitur communi potestate omnium particularum exlamativarum, quo in numero apud Plautum plerisque locis *profecto*

quoque est habendum, illud commemoro hanc particulam aliquotiens in sententiis vel, ut Graeci dicunt, epiphonematis adhiberi, qui usus quamquam prorsus consentit cum talis voculae natura, dignus videtur, qui praecipue notetur, quod is solus ne a posterioribus quidem scriptoribus, qui alioquin longe alia ratione utuntur hac particula, est alienus.

Amph. 649: virtus omnibus rebus anteit *profecto.*

Capt. 312: est *profecto* deus, qui, quae nos gerimus, auditque et videt. — Simili, minime eodem modo ait Cicero de d. nat. II, 16: est igitur *profecto* deus.

Praeterea huc pertinent Capt. 326. Curc. 531. Merc. 22. Mil. 1292.

Cum hic omnium id genus particularum proprius usus non versetur in controversia, satis est locos ipsos afferre:

Amph. 24. 370. 371. 371. 1022.

Asin. 26. 244. 601.

Aul. 98. 125. Capt. 119. 806. Cas. prol. 83. III, 5, 68. V, 2, 32. 33. Curc. 299. 570. Epid. 393. 470. 685. Bacch. 741. Men. 126. 647. 1064. Merc. 272. 863. Mil. 464. 1258. 1264. 1280. Most. 417. 818. 841. 1024. 1175. Poen. 597. 907. 969. 1007. 1088. Pseud. 93. 201. 310. 677. 1252.

Rud. 226. 280. Trin. 199. 547.

Truc. 228.

§ 2. Paulo uberius tractandi ii sunt loci, quibus particulae *profecto* vis iam aliquantulum ab illa usitata omniumque exclamativarum vocularum communi potestate deflexit. Namque mea quidem sententia non raro proxime ad *certo* particulam accedit *profecto;* id quod negare videtur Langen (Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus, Lpz. 1880 p. 26), cum Ussingio opprobrio vertit, quod hic Asin. 607 *certe enim* commutari vult in *certo enim,* quia sententiarum conexus *profecto* desideret, huic autem rectius respondeat *certo.* Quamquam in tanta hominum doctorum dissensione certum iudicium pronuntiare quibusdam videtur arrogantiae esse, tamen nec Langenio nec Ussingio astipulandum censeo, quod neuter cum veram *profecto* particulae indolem tum eius usum Plautinum satis perspexisse videtur, ille cum *certe* id exaequans, hic cum *certo.*

Ac primum quidem invenitur *profecto* in responsionibus, qua ratione *certo* quoque adhiberi Langen demonstravit, eo solo

discrimine, quod *certo* nullo apposito additamento, *profecto* cum »ita esse« vel »esse« coniunctum ponitur.

Amph. 569: *profecto*, ut loquor, res itast. —

Amphitruo invehitur in Sosiam servum petulanter dicentem se uno ipso tempore et domi et hic adesse; at Amphitruo: »tune, inquit, id dicere audes, quod nemo umquam homo antehac vidit nec potest fieri, tempore uno homo idem duobus locis, ut simul sit«; ad haec servus, in procacitate perseverans, respondet: »profecto, ut loquor, res itast« (es ist wirklich so, wie ich sage).

Pseud. 342: non edepol habeo *profecto* — Calidorus adulescens de Phoenici amicae salute sollicitus ex Ballione quaerit, habeatne etiam nunc venalem virginem; cui interroganti respondet leno: »non edepol habeo *profecto*: nam iam pridem vendidi« (bei Gott [edepol] ich hab' sie wirklich nicht, denn sie ist schon längst verkauft).

Eadem condicione utuntur hi loci, quos pluribus explicare supersedeo:

Amph. 370: ita *profecto.*

Most. 94: *profecto* esse ita, ut praedico, vera vincam.

Poen. 555: ita *profectost.*

Merc. 266: nunc hoc *profecto* sic est, 372: id est *profecto.* 905: est *profecto.*

Cist. IV, I, 14: haec sunt *profecto.*

Non parvi momenti videtur esse *profecto* confessionis augendae causa post verbum fatendi addi:

Merc. 987: fateor, deliqui *profecto*: (ich gesteh's, ich habe es *wirklich* gethan).

Asin. 566: fateor *profecto* ut praedicas, Leonida esse vera.

Persa 213: fateor ego *profecto* me esse, ut decet, lenonis familiae.

Praeter hos locos alii quoque reperiuntur, quibus *profecto* non exclamativam, sed vere asseverantem esse particulam luculentissime apparet.

Most. 1088: nugas: numquam edepol dabit. >< dat *profecto.*

Amph. 372: hoc quidem *profecto* certumst, non est arbitrarium.

Amph. 594: sum *profecto* et hic et illic: hoc quoivis mirari licet.

Amphitruo exacerbatus Sosiae servi insolentia (cf. supra ad v. 569), qui simul duobus se versari locis dicit: »Quomodo fieri potest, inquit, ut tu et hic sis et domi?« »Sum *profecto* et

hic et illic, respondet Sosia; quod quamquam mirum quibusdam videtur, quin mihi ipsi, verum tamen est.«

Amph. 781: quid ego video? haec east *profecto* patera.

Amph. 844: delenitus sum *profecto* ita, ut me qui sim nesciam. × Amphitruo's *profecto*.

In hoc uno versu utramque significationem usurpatam reperimus ita, ut prius »profecto« exclamativum sit = fürwahr, bei Gott, wahrhaftig, altero vero quid asseveretur. »Du kannst es schon glauben, du bist wirklich der Amphitruo« respondet servus procax domino paene amenti.

Bacch 741: et *profecto* se ablaturum dixit.

Bacch. 520: *profecto* stabilest me patri aurum reddere.

Cist. IV, 2, 90: nam nostra alumna haec tua *profecto* est filia.

Rud. 1092: ea est *profecto* (sie ist es wirklich).

Mil. 290: pol *profecto* vidi.

Most. 1082: immo edepol negat *profecto* neque se hasce aedis Philolachi vendidisse.

Poen. 1349: meae quidem *profecto* non sunt.

Rud. 914: nullus est. × immo est *profecto*. ego, qui sum piscator, scio.

Rud. 1237: *profecto* est huius vidulus.

Trin. 1072: certe is est, is est *profecto*.

Quem versum diligentius inspicias velim, quod maximo est documento, quid intersit inter particularum *certe* et *profecto* usum Plautinum. Hic est »profecto« multo vehementius quam »certe«: contrarius ergo usus atque apud Ciceronem; sed de hac re posthac.

Copiosius disputandum videtur de insigni structura, quae Plauti propria ter invenitur: *profecto nescio*.

Bacch 323: verum verum nescio *profecto*, de auro nil scio nisi nescio.

Pseud. 894: *profecto*, quid nunc primum caveam, nescio.

Rud. 662: nam huic alterae quae patria sit, *profecto* nescio.

Verbo nesciendi coniunctum *profecto* non nisi ad asseverandum adhiberi per se patet neque minus *profecto* hic idem valere quod postea »*certe*«. At nonne mireris »*certe nescio*« non esse apud Plautum? Quod ut mihi explanem, ita argumentor: »certe« in usu Plautino, ut luculentissime Langen l. c. p. 24 demonstravit, non eodem modo est particula affirmandi quo postea, sed eo potius munere fungitur quod apud classicos, ut ita dicam, scriptores

»profecto« h. e. non ponitur, si quid vere factum affirmari debet (objective), sed si quis sua ipsius sententia quid eventurum vel fore significat. Quae cum ita sint, apud Plautum *profecto* aptius est, quod addatur verbo »nescio»; apud posteriores vero »*certe nescio*«, non »*certo nescio*« ferri posse, disserit copiosissime Haase (Vorlesungen über lateinische Sprachwissenschaft ed. Eckstein et Peter I, 114).

§ 3. Quoniam vidimus *profecto* Plautinum plerumque ex etymologiae rationibus particulam plane affirmativam esse, restat, ut iam in Plautino usu, sicut erat propositum, ex satis apertis vestigiis primordia illius insignis significationis enucleemus, quae posterioribus temporibus firmata atque stabilita est. Hoc in totius de usu Plautino quaestionis quodam cardine placet eos locos, qui huc pertinent, diligenter exprimere eorumque argumentum, quo melius particulae vis perspiciatur, exponere.

Amph. 1100: ita *profecto* sine dolore peperit.

Amphitruo percontatur de parturientis uxoris valetudine Bromiam ancillam, quae interroganti respondet, peperisse Alcumenam geminos idque facile; »nam uxorem tuam neque gementem neque plorantem nostrum quisquam audivimus«. Quo ex responso suspicatur Amphitruo sine doloribus illam partum edidisse; certam affirmationem subridiculam paene esse quis est, quin cognoscat? Qua re hic rectissime *profecto* subjective est accipiendum.

Most. 956: habitat *profecto*; nam heri et nudius tertius numquam hic triduom unum desitumst potarier.

Phaniscus cum quaerenti, nonne Philolaches adulescens hisce in aedibus habitaret, Theuropides responderit illum iam pridem emigrasse omninoque sex iam menses neminem hic habitare, non tribuit fidem huic responso: nam ipsum proxime commissationis tumultum hic audisse, qua ex re colligere se aliquem hic etiam habitare: »habitat *profecto*« (gewiss wohnt er hier). Haec affirmatio, si modo est, in ipsa coniectura est posita.

Similiter res se habet hoc loco:

Mil. 1282: iam nos volt is *profecto*.

Pyrgopolinices et Palaestrio cum peregrinum quendam adventantem videant (sc. Pleusiclem adulescentem), expedire sibi non possunt, quo tendat ille »ornatu thassalico« indutus. Quibus mirantibus cum homo peregrinus paulatim appropinquet, suspicatur Palaestrio: »iam nos volt is profecto. Nauclerus hic quidemst« (das ist ein Schiffsherr, der will gewiss zu uns). Hoc quoque loco

fieri non potest, ut certo sciat Palaestrio, quonam se collaturus sit Pleusicles; tamen ex rerum condicione potestas coniciendi ei datur.

Persa 14: is est *profecto.*

Toxilus et Sagaristio servi, quondam familiaritate coniuncti, sed temporum iniquitate distracti, conveniunt forte neque agnoscunt inter se. Toxilus ratus alterum Sagaristionis amici non esse dissimilem verecunde dicit: »is est *profecto*« et obviam it Sagaristioni, cui nunc item succurrit cogitatio peregrinum illum fortasse Toxilum esse, cum dicat: »eum esse opinor.« Utramque locutionem (et »is est *profecto*« et »eum esse opinor«) hic idem valere in promptu est, quoniam alter nihil certius scit altero.

Praeter hos locos, qui planissime recentioris particulae *profecto* potestatis vestigia ostendunt, laudandi sunt hi:

Amph. 1084: immo omnes sani sunt *profecto.*

Amph. 492: nemo id probro *profecto* ducet Alcumenae.

Capt. 54: *profecto* expediet fabulae huic operam dare.

Capt. 580: atque, ut perspicio, *profecto* iam aliquid pugnae edidit.

Men. 824: *profecto* ludit te hic.

Quamquam non sum nescius in hac tam subtili et lubrica quaestione et quae maxime est coniecturae obnoxia, si non omnes at complures dissensuros esse hunc vel illum locum aliter interpretantes, tamen id meo iure contendere ausim ex iis ipsis locis, quos partim enarravi partim enumeravi, satis apparere praeter vulgarem affirmandi particularum notionem *profecto* iam in Plautino usu subtilioris esse potestatis, quae planius quam rectius subiective affirmativa nominari potest.

§ 4. Postremo commemoro id quod iam Hand recte cognovit »profecto« saepius idem sonare ac »prorsus«, imprimis apud negationes:

Curc. 403. 418. 426. Mil. 210. 954. Rud. 244. 337. Most. 836. Pseud. 903. 1330. Trin. 511.

Hac de significatione quaestione peracta restat, ut pauca de usu grammatico adiungamus.

Haud parvi momenti videtur esse *profecto* sine exceptione praesenti, perfecto, futuro addi, qui usus, prorsus Ciceroniano consentaneus, non reperitur apud ceteras id genus particulas, quae et imperfecto et plusquamperfecto coniunguntur.

In enuntiatis condicionalibus, in quibus postea usitatissimum est, »profecto« semel apparet:

Men. 647: nam *profecto* tibi surrupta si esset, salva nunc foret;

in secundariis enuntiationibus quinquies:

Asin. 25: ita me obstinate adgressu's, ut non audeam *profecto* percontanti quin promam omnia.

Amph. 1022: eo modo, ut *profecto* vivas aetatem miser.

Curc. 425: quod istic scriptum esset, id te orare iusserat, *profecto*, ut faceres suam si velles gratiam.

Pseud. 903; nunc ibo intro atque edicam familiaribus *profecto* ne quis quidquam credat Pseudulo.

Capt. 326: est etiam ubi *profecto* damnum praestet facere quam lucrum.

Praeterea illud admonuerim »profecto« consociatum esse cum »edepol« particula Most. 818. 1082. Pseud. 342. 1252. Amph. 371; cum »pol« Amph. 371. Men. 1064. Merc. 22; cum »quidem«. Pseud. 310. Poen. 1349.

Profecto cum »certe« coniunctum non invenitur; in eodem enuntiato, sed diversae potestatis duo sunt Trin. 1072, quo de loco supra uberius disputavimus. His de rebus consulto non multum verba facimus, quoniam ad totius quaestionis rationem minime pertinent.

B.

§ 1. Accedamus nunc, si placet, ad Terentianum usum, qui multo angustior Plautino iam proprius ad recentiorem usum accedit. Hic quoque de plane affirmativa »profecto« particulae vi ac notione breviter disputandum videtur; satis est locos ipsos in conspectu ponere:

Adelphi 28: *profecto* hoc vere dicunt.

Eun. 395: est istuc datum *profecto*, ut grata mihi sunt, quae facio, omnia.

Heaut. 420: aut ego *profecto* ingenio egregio ad miserias natus sum aut illud falsumst.

Hec. 782: *profecto* in hac re nihil malist, quod sit discidio dignum.

Eun. 551: nunc est *profecto*, interfici cum perpeti me possum.

Andria 703. Heaut. 614.

Sequuntur ii loci, quibus *profecto*, ne quis de vera significatione affirmativae particulae haesitet, in responsionibus asseverandi causa adhibetur.

Eun. 381: non est *profecto*.

Andr. 554: *profecto* sic est.

Heaut. 856: id est *profecto*.

Hec. 379: *profecto* hoc sic est, ut puto.

Eun. 184: *profecto* non plus biduom.

Thais meretrix a Phaedria adulescente petit, ut sibi concedat saltem biduum; hic autem illius precibus obsequi non vult, quod timet »ne fiant viginti dies« (v. 182: si quidem biduom, verum ne fiant isti viginti dies), tunc affirmat Thais: »*profecto* non plus biduom« (wirklich nur zwei Tage).

§ 2. Restant sex loci, quibus non significatione solum, sed etiam structura enuntiati aperta recentioris usus indicia comparent, ut paene ultro ad totius commentationis summam traducamur.

Ac primum quidem est *profecto* in apodosi condicionali:

Adelphi 145: verum si augeam aut etiam adiutor sim eius iracundiae, insaniam *profecto* cum illo.

Heaut. 1003: *profecto*, nisi caves tu homo, aliquid gnato conficies mali.

Profecto in tali enuntiato, cui relativa enuntiatio condicionali vi succedit, est:

Adelphi 893: nam is mihi *profecto* est servos spectatus satis, cui dominus curaest ita, ut tibi sensi, Geta.

Praeterea affero:

Adelphi 508: verum nimia illaec licentia *profecto* evadit in aliquod magnum malum = οὐκ ἂν ἀποβαίη καλῶς.

Quod Bentley hic »evadet« scriptum voluit, rectissime nostrae particulae proprium sensum perspexisse videtur.

Similiter Eun. 507:

Profecto, quanto magis magisque cogito, ni mirum, dabit Thais mihi magnum malum.

§ 3. Postremo non est silentio praetereunda insignis quaedam a Plauto aliena locutio, quae quasi ansam nobis dat ad *profecto* particulam recte iudicandam: »nescio quid profecto«.

Eun. 649: nescio quid *profecto* absente nobis turbatumst, während meiner Abwesenheit »muss« hier etwas in Unordnung gebracht worden sein.

Heaut. 236: faciam, sed nescio quid *profecto* mihi animus praesagit mali — ich thu's, doch ein Unglück giebt's, das ahnt mir.

Quae locutio quemadmodum sit intellegenda, confestim perspiciemus, cum consideraverimus non ad verbum enuntiati referendum *profecto* esse, sed potius ad »nescio quid«, quocum ita cohaeret, ut tres illae voces unam quasi notionem complectantur.

At exclamativa significatio nonne simplicissima ratione accipi potest? Minime, quod equidem intellegam, nam cavendum est, ne in media et aequabili oratione subito sine ulla idonea causa talem exclamationem statuas, quae in exaggerata repugnantiaque alterius incitata oratione non est alinea.

Tertium locum, qui eodem modo nostram particulam usurpatam exhibet, corruptum esse apparet, siquidem verborum ipsa collocatio suspectum eum reddit. Traduntur enim Hec. 319: »nescio quod magnum malum *profecto*, Parmeno, me celas«, ubi rectissime Umpfenbach »profecto« delet; num vero pariter recte in »prospecto« mutaverit, assensum cohibere malo.

§ 4. Quoniam ad hunc locum pervenimus, e re videtur esse, quae prima totius disputationis parte probare studuimus, sub unum adspectum subicere et summatim quae ratio intercedat inter »profecto« et »certe« et »certo« complecti.

Antiquissimis litterarum temporibus *profecto* particulam eius significationis fuisse constat, quae etymologiae rationibus sancitur iusta atque legitima; ceteras vero affirmandi particulas »certe« et »certo« ita inter se differre, ut illud subiective, hoc obiective affirmet, auctor est P. Langen. At iam apud priscos scriptores certa quaedam recentioris usus, quo *profecto* paene omnem affirmandi vim exuit, vestigia indagasse videmur, quae quo longius progredimur, eo certius apparent, apud Plautum quidem rarius, saepius apud Terentium.

Qua re mirum in modum res commutantur, quatenus *profecto* primaria vi neglecta *certe* particulae partes excipit, *certe* illius vice fungitur, *certo* de gradu deiectum desinit affirmandi esse particula et, cum peculiari illa *certe* particulae significatione adverbium adiectivi »certus« desideretur, huius munia subit.

Si quis ceterorum comicorum vel tragicorum fragmenta in hac quaestione omissa aegre ferat, haec ideo haud ita magni momenti sunt, quod ex sententiarum conexu excerptos neque continuos versus praebent. Id quidem vulgo perspicuum est horum usum non esse eum, qui singillatim sit exponendus, sed ad Plautinum potius Terentianumque se applicare.

II.

DE USU CICERONIANO.

Qui adhuc de *profecto* particulae usu Ciceroniano instituerunt quaestiones, sive occasione data in Ciceronis libris emendandis vel illustrandis sive in libellis de peculiari particularum usu compositis, ad unum omnes in maximo versatos esse errore auctor est C. F. W. Mueller (l. c. p. 14), cuius arbitrio ii quoque, qui proxime pro rata parte copiose et diligenter eius particulae, de qua disputamus, naturam indolemque disseruerunt, a vero sunt aversi: Anton, Studien zur lat. Gramm. und Stilistik, Erfurt 1873. II p. 6, 12, 14 et Wichert, die lateinische Stillehre, Königsberg 1856 p. 36.

Etsi non est dubium, quin Mueller id universe recte iudicaverit, tamen ne Wichertum quidem quid vidisse non ei concesserim, cum hic loco quodam a Muellero, ut videtur, omisso (Nachtrag p. 391) proxime ad verum accedere videatur, ut iure mireris prioribus locis eum a veritate prorsus delapsum esse. Quas quidem constituit leges divinatione magis quam ratione repertas, eximiam sermonis Latini scientiam ostendunt. Ceterorum praecepta commemorare supersedeo itemque Handi, cum haec omnia parum ad nostram argumentationem pertineant.

Ut facillime explanemus, quantopere »profecto« abhorreat a ceteris affirmandi particulis, consideremus, si placet, primum, quid talium vocularum naturae maxime sit proprium et qui usus iis consentaneus, deinde, quae ratio inter *profecto* et ceteras intercedat.

Ac primum quidem asseverantis est, quae ipse gessit vel vidit vel audivit, praesertim si ab aliis in controversiam adducta sunt, vera, non ambigua significare, qua ex re efficitur, ut et praeterita tempora maxime sint idonea, quibus addantur affirmandi particulae, et ex personis praecipue prima et tertia. Quam inter-

pretationem non in omnes partes valere non ignoro, tamen in universum haud scio an apta videatur.

At *profecto* particulae usum uno adspectu intuentibus facile apparet eas affirmationis proprias condiciones prorsus deesse; namque adeo non revocatur *profecto* ad res praeterito tempore gestas, ut exceptis paucissimis locis praesenti et futuro coniungatur; alteri potius tertiaeque personae, quam primae.

Ut hic simul aliam quoque proprietatem commemoremus, *profecto* non nusquam cum in condicionalibus enuntiatis tum in irrealibus, quae dicuntur, reperitur. Qua ex causa nonne planissime patet fieri non posse, ut *profecto* affirmativa notione adhibeatur? An obtestari vel iure iurando sancire in animo habeas Gaium quid facturum fuisse vel esse facturum? Nonne id solum fieri potest, ut, quid tua opinione futurum fuerit vel futurum sit, significes? Compluribus locis sane non ita ad vivum resecare debemus vivum particulae usum et considerare orationem altius exsurgentem atque elatam disserendi subtilitate neglecta trajectionem quandam superlationemque sibi vindicare. At omnibus locis talem orationis discrepantiam admittere insani est neque quidquam aliud ac veram sinceramque huius particulae notionem consulto cogitateque ignorare.

Posteaquam haec in universum disputata sunt, particulae *profecto* usum Ciceronianum ad rationem quandam praeceptaque redigere conabimur.

---

§ 1.

De temporum usu.

Ut iam supra significavimus, permultum ad recte perspiciendam *profecto* particulae naturam temporum valet usus; qui ita est comparatus, ut hac ipsa re dubites, sitne *profecto* affirmantis vel asseverantis. Remotis interim condicionalibus sententiis id summo iure contendere ausim:

»Profecto« non nisi in primis sententiis (Hauptsätzen) usurpatur, quarum verbum p r a e s e n s aut p e r f e c t u m aut f u t u r u m est.

Haec suprema lex p a u c i s s i m i s locis vacillat vel claudicat; temporem autem usum hoc praecepto astrictum esse nunc paulo fusius uberiusque demonstrabimus.

Quod ad imperfecti usum attinet, unum exstat exemplum codicum auctoritate confirmatum:

> pro Planc. 88: Vinci autem improbos a bonis fateor fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem: *quem profecto non videbam*. Ubi enim mihi praesto fuissent aut tam fortes consules quam L. Opimius,' quam C. Marius . . .

Sic praebent si non omnes at tamen plerique manu scripti libri, quorum fidem secuti et Wunder (Cic. or. p. Plancio Lps. 1830) et Kayser enuntiatum relativum »quem profecto non videbam« retinent, cum Klotz et Baiter illud uncis incluserint et Orellius ut spurium omiserit. In commentario p. 221 permulta speciosius quam verius dicit Wunder, quae traditam lectionem fulciant. At tribus eisque gravissimis causis commotus haec verba Ciceroni abiudicaverim.

Primum quidem offendo in praeterito, quod hoc uno loco positum vereor ut a Ciceronis manu sit profectum. Nonne quadringentorum paene locorum auctoritas impedit, ne eiusmodi exceptionem ultro admittamus?

Alterum argumentum affero gravissimum. Quamquam quidem, ut infra uberius disseretur, usus ille, quo *profecto* in parenthesi usurpatur, usitatissimus est, tamen—id quod omnes adhuc omiserant—talis parenthesis, si modo referenda est ad condicionem, non potest adiungi nisi realibus, quae vocantur, sententiis; quod ad comprobandum ex multitudine exemplorum pauca eaque gravissima eligo:

> Lael. 48: si cadit in sapientem animi dolor, qui *profecto* cadit . . .
>
> de d. nat. 2, 78: si modo sunt (sc. dei), ut *profecto* sunt, . . .
>
> ad fam. 13, 64, 2: si te fautore usus erit, sicuti *profecto* et utetur et usus est, . . .
>
> ad Att. 2, 20, 5: tu si me amas, quantum *profecto* amas, . . .

Quod ita se habere nihil est admirandum. Quidnam sibi vult parenthesis talis »qui profecto cadit« vel »ut profecto sunt« aliud nisi praecedentem hypothesim, quae per se ipsa utrum valeat necne nondum apparet, confirmare ex illius sententia, qui verba facit? In irrealibus vero condicionibus iam diserte significatum est condicionem, quae quidem omnino non est vera condicio, non valere. Quod cum explicamus, iam ad causam, quam tertiam proposuimus afferre, accessimus.

Qui retinent enuntiatum relativum, hoc ideo videntur facere quod quae sequuntur verba »ubi enim mihi praesto fuissent . . « non habeant, quo sint referenda: cuinam enuntiato per enim voculam affertur causa sententia relativa sublata? At qui ita argumentantur, permagno tenentur errore de condicionalium enuntiatorum vera propriaque natura, ut arbitrentur irreales sententias re et veritate esse condiciones. Sed quisquis rem paulo accuratius contemplatus erit, sine dubio concedet enuntiationes illas forma potius quam sensu in condicionalibus esse numerandas.

Pluribus hanc quaestionem, quae patet latissime maximique est momenti, tractare longum est, quare id statuere satis erit coniunctivum praeteriti »viderem« sive potius modum condicionalem continere negationem, quam ignarus quidam scriba seorsim exprimendam iudicavit. Quae in controversia sunt, ita reddenda censeo: Diese Niederlage der Staatsfeinde hatte, wie ich offen gestehe, meinen Beifall; doch leider war kein Ende abzusehn in diesem Kampfe. Denn dazu fehlten mir so energische Consuln etc.

Cum plus iusto hoc loco commorati esse quibusdam fortasse videamur, eo brevius illum tractabimus, quo Mueller »*profecto*« cum praeterito coniunctum legi vult: or. pro Quinctio 39, ubi dimidia pars codicum »id erit profecto«, dimidia »id erat profecto« exhibet. Quodsi Mueller animum induxit in tanta ceterorum omnium locorum discrepantia hanc praeferre lectionem, tam alienae structurae ideo indulsisse videtur, quod et ex sententiarum ipso conexu futurum hic ferri non posse apparet et quod praecedentibus quinque aut saltem tribus praeteritis orationis aequabilitas concinnitasque imperfectum desiderat, nisi forte totam sententiam salvo sensu reicimus.

Quae cum ita sint, tenendum est id, quod supra diximus: particulam *profecto* non nisi praesenti, perfecto, futuro coniungi; quomodo id fiat, nunc explicabimus.

Quam non »*profecto*« sit affirmativum, luculentissime, inde perspicitur, quod ne uno quidem loco cum perfecti prima persona coniunctum reperimus omninoque rarissime cum perfecto. Atqui haec ipsa forma particulae plane affirmativae est accomodatior, quam quae maxime:

Alterius perfecti personae exstant non amplius septem exempla.

ad Att. 3, 15, 3: »tu nisi quod erat, *profecto* non scripsisti«.

Cicero in exilio Thessalonicae versans a quibusdam amicis certior fit, quae Romae agantur, sed alius aliud omittit vel de

Quod ad imperfecti usum attinet, unum exstat exemplum codicum auctoritate confirmatum:

pro Planc. 88: Vinci autem improbos a bonis fateor fuisse praeclarum, si finem tum vincendi viderem: *quem profecto non videbam.* Ubi enim mihi praesto fuissent aut tam fortes consules quam L. Opimius, quam C. Marius . . .

Sic praebent si non omnes at tamen plerique manu scripti libri, quorum fidem secuti et WUNDER (Cic. or. p. Plancio Lps. 1830) et KAYSER enuntiatum relativum »quem profecto non videbam« retinent, cum KLOTZ et BAITER illud uncis incluserint et ORELLIUS ut spurium omiserit. In commentario p. 221 permulta speciosius quam verius dicit WUNDER, quae traditam lectionem fulciant. At tribus eisque gravissimis causis commotus haec verba Ciceroni abiudicaverim.

Primum quidem offendo in praeterito, quod hoc uno loco positum vereor ut a Ciceronis manu sit profectum. Nonne quadringentorum paene locorum auctoritas impedit, ne eiusmodi exceptionem ultro admittamus?

Alterum argumentum affero gravissimum. Quamquam quidem, ut infra uberius disseretur, usus ille, quo *profecto* in parenthesi usurpatur, usitatissimus est, tamen—id quod omnes adhuc omiserunt—talis parenthesis, si modo referenda est ad condicionem, non potest adiungi nisi realibus, quae vocantur, sententiis; quod ad comprobandum ex multitudine exemplorum pauca eaque gravissima eligo:

Lael. 48: si cadit in sapientem animi dolor, qui *profecto* cadit, . . .

de d. nat. 2, 78: si modo sunt (sc. dei), ut *profecto* sunt, . . .

ad fam. 13, 64, 2: si te fautore usus erit, sicuti *profecto* et utetur et usus est, . . .

ad Att. 2, 20, 5: tu si me amas, quantum *profecto* amas, . . .

Quod ita se habere nihil est admirandum. Quidnam sibi vult parenthesis talis »qui profecto cadit« vel »ut profecto sunt« aliud nisi praecedentem hypothesim, quae per se ipsa utrum valeat necne nondum apparet, confirmare ex illius sententia, qui verba facit? In irrealibus vero condicionibus iam diserte significatum est condicionem, quae quidem omnino non est vera condicio, non valere. Quod cum explicamus, iam ad causam, quam tertiam proposuimus afferre, accessimus.

Qui retinent enuntiatum relativum, hoc ideo videntur facere quod quae sequuntur verba »ubi enim mihi praesto fuissent . .« non habeant, quo sint referenda: cuinam enuntiato per enim voculam affertur causa sententia relativa sublata? At qui ita argumentantur, permagno tenentur errore de condicionalium enuntiatorum vera propriaque natura, ut arbitrentur irreales sententias re et veritate esse condiciones. Sed quisquis rem paulo accuratius contemplatus erit, sine dubio concedet enuntiationes illas forma potius quam sensu in condicionalibus esse numerandas.

Pluribus hanc quaestionem, quae patet latissime maximique est momenti, tractare longum est, quare id statuere satis erit coniunctivum praeteriti »viderem« sive potius modum condicionalem continere negationem, quam ignarus quidam scriba seorsim exprimendam iudicavit. Quae in controversia sunt, ita reddenda censeo: Diese Niederlage der Staatsfeinde hatte, wie ich offen gestehe, meinen Beifall; doch leider war kein Ende abzusehn in diesem Kampfe. Denn dazu fehlten mir so energische Consuln etc.

Cum plus iusto hoc loco commorati esse quibusdam fortasse videamur, eo brevius illum tractabimus, quo MUELLER »*profecto*« cum praeterito coniunctum legi vult: or. pro Quinctio 39, ubi dimidia pars codicum »id erit profecto«, dimidia »id erat profecto« exhibet. Quodsi MUELLER animum induxit in tanta ceterorum omnium locorum discrepantia hanc praeferre lectionem, tam alienae structurae ideo indulsisse videtur, quod et ex sententiarum ipso conexu futurum hic ferri non posse apparet et quod praecedentibus quinque aut saltem tribus praeteritis orationis aequabilitas concinnitasque imperfectum desiderat, nisi forte totam sententiam salvo sensu reicimus.

Quae cum ita sint, tenendum est id, quod supra diximus: particulam *profecto* non nisi praesenti, perfecto, futuro coniungi; quomodo id fiat, nunc explicabimus.

Quam non »*profecto*« sit affirmativum, luculentissime, inde perspicitur, quod ne uno quidem loco cum perfecti prima persona coniunctum reperimus omninoque rarissime cum perfecto. Atqui haec ipsa forma particulae plane affirmativae est accomodatior, quam quae maxime:

Alterius perfecti personae exstant non amplius septem exempla.

ad Att. 3, 15, 3: »tu nisi quod erat, *profecto* non scripsisti«.

Cicero in exilio Thessalonicae versans a quibusdam amicis certior fit, quae Romae agantur, sed alius aliud omittit vel de

suo addit, Atticum vero nisi quod esset, non scribere persuasum ei est; num reapse Atticus ad veritatem omnia narret, non potest scire Cicero. Quo in casu *profecto* proxime accedere videtur ad *nempe* particulam, id quod iam PRISCIANUS, ut supra commemoravimus, recte cognovit.

ep. 7, 3, 1: quo tempore vidisti *profecto* me quoque ita conturbatum.

ep. 13, 6b, 1: cuius causa quanto opere cuperem deberemque, *profecto* ex me facile cognosti.

Sulla 40: vos *profecto* animum meum incendistis.

Planc. 38: *profecto* debuisti,

d. dom. 54: tum *profecto* ostendisti.

Pis. 68: audistis *profecto* dici philosophos Epicureos omnes res . . . voluptate metiri.

Si dixisset Cicero »certe«, putasset revera omnes, qui se audirent, de Epicureorum ratione edoctos esse; cum vero id colligere non posset et tum Epicureorum praecepta omnino non essent vulgata, »certe« non est aptum. Quod ita se habere inde cognoscitur, quod Cicero aliis quoque locis, ubi de philosophorum inventis verba facit, de Epicureorum rationis scientia utitur locutione »profecto scis, profecto nota sunt«, de ceterorum vero praeceptis adhibet »certe«.

Tertia perfecti persona invenitur uno et viginti locis, ex quibus septem praebent »*profecto* fuit«:

Tusc. 1, 118; Br. 7; d. rep. 2, 20; consol. 11 (MUELLER IV, 3, 335); d. imp. 47; Sest. 17; Mil. 21.

Alia verba sic adhibita:

Tusc. 5, 2; Cato m. 84; d. or. 1, 13; or. 19; Att. 4, 2, 2; 12, 14, 3; Q. fr. 1, 1, 29; Tim. 6; Rosc. 128; Catil. 3, 23; Cael. 53; Phil, 9, 7; 14, 23; Verr. 4, 12: *profecto* hinc natum est; cf. Br. 21: nempe igitur hinc tum ductus est sermo.

Quibus de locis plura dicere omitto, quod plerique paulo inferius alia in occasione tractandi sunt.

Vidimus id ipsum tempus, quod affirmativae particulae maxime convenit, perfectum, rarissime cum *profecto* particula coniunctum inveniri, primam eius personam nusquam. Iam vero explorantibus quomodo et praesenti et futuro coniungatur »*profecto*«, personarum usum intueri videtur, qui hic quoque tam mirifice est comparatus, ut prima praesentis persona non plus novies inveniatur idque paene

nulla exceptione auxiliarium, ut aiunt grammatici, verborum, quorum cum ratio aliter se habeat atque ceterorum, admodum nihil in censum veniunt.

Tusc. 1, 2: »Nam mores et instituta vitae . . . nos *profecto* et melius tuemur et lautius (sc. quam Graeci), rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt et institutis et legibus.« Utriusque particulae usurpatio luculentissime demonstrat, quid intersit inter »*profecto*« et »certe«. Maximae est modestiae Ciceronem illius aetatis, qua ipse erat, virtutibus »*profecto*« addere, maiorum vero merita adeo non dubia vel ambigua significare, ut dicat: als Staatsmänner und Gesetzgeber stehen unsere Ahnen entschieden höher sc. Graecis.

— (Cum ii quidem loci, qui certe et *profecto* coniuncta praebent, permagni sint momenti ad discrimen plane perspiciendum, infra perpetua oratione exponentur.) —

Profecto debeo: fin. 1, 10; Verr. 2, 118; debemus d. rep. 3, 8; ep. 4, 2, 2; Arch. 1; sum ep. 15, 4, 13; sumus Tusc. 5, 116; absum Rosc. 94.

Etiam atque etiam animum intendas velim ad id, quod perfecti prima persona omnino deest, praesentis vero paucissimis exstat locis. Quodsi futuri prima persona multo saepius invenitur, non casu factum arbitreris, sed rectissime conicias ex hoc insigni peculiarique usu, quam non »*profecto*« sit asseverantis. Maxime est conspicua structura: efficiam vel perficiam vel proficiam *profecto*:

perficiam *profecto:* Att. 8, 11d, 8; ep. 3, 1, 1; 9, 1, 2; leg. agr. 1, 27; 2, 50; Catil. 2, 28; 3, 29; Arch. 4, hac semper verborum collocatione praeterquam si praecedit illud, cui *profecto* succedit.

efficiam *profecto*: de d. nat. 3, 65; ep. 3, 7, 6; Cluent. 7.

profecto proficiam Att. 14, 17, 2;

profecto profecero (quod est unum futurum secundum) Att. 11, 22, 2;

profecto faciam ep. 1, 8, 3;

assequar *profecto* d. div. 2, 6.

Quamquam negari nequit hoc modo adhibitum »*profecto*« non multum distare a »mehercule«, tamen ea re vehementer differt, quod hoc in exaggerata atque elata oratione, illud in aequabili est sermone non asseverandi nec affirmandi causa, sed verecundiae cuiusdam vel modestiae documentum. Longe aliter, ut exemplum

afferam, res se habet ad Att. 3, 15, 4: »Ego . . . certe efficiam, ut maxime laetere unus ex omnibus amicis«. Ac primum quidem litterae ad Atticum datae sunt, quo tam familiariter Ciceronem usum esse constat, ut interdum pudoris vel verecundiae fines transire ei liceret; deinde autem »*profecto* efficiam« hoc in casu, quoniam quid promittere vult Cicero Attico, parum significaret fiduciae.

Praeterea prima futuri persona invenitur:

Att. 5, 18, 3: *profecto* nihil accipiam iniuriae, si tu aderis.
ep. 10, 23, 6: quod si vos istic non defueritis, *profecto* .. reipublicae satisfaciam.
Planc. 72. Br. 16. Att. 4, 1, 2; ep. 1, 5a, 2.
ep. 5, 9, 2; 7, 1, 5; 12, 22, 2; Verr. a. pr. 54. Caec. 9.
d. or. 3, 145.

Quod ad secundae personae usum attinet, in universum futurum totiens quotiens praesens invenitur. Usurpatur hac in condicione »*profecto*« ad significandum, quid arbitratu eius, qui verba facit, alter faciat vel sit facturus. Praecipue verba sentiendi, ut aiunt grammatici, tali modo adhibentur:

profecto vides: Tusc. 1, 60; or. 105;
Att. 10, 11, 2; 11, 2, 3; 11, 3, 2; 11, 8, 1.
ep. 1, 7, 9; 2, 7, 2.
videtis *profecto* Cato m. 13. d. or. 3, 168;
Verr. 2, 3, 221; Cluent. 188;

Similes structurae:

Lael. 2 meministi *profecto.*
d. rep. 6, 22 cernis *profecto.*
Att. 13, 23, 1: »intellegis *profecto*«; idem ad Br. 1, 5, 2;
div. in Caecil. 52; Marc. 3.
nosti *profecto:* ep. 9, 8, 1.
d. leg. agr. 1, 8 auditis *profecto.*
Catil. 3, 19 *profecto* memoria tenetis.
ep. 10, 3, 2: scis *profecto.*
ad Qu. fr. 1, 4, 2: perspicis *profecto.*
ad Qu. fr. 2, 14, 2: *profecto* quaeris.
ep. 2, 4, 1: *profecto* non exspectas.
Phil. 2, 19: nihil *profecto* sapis.
de d. nat. 3, 63: *profecto* confitemini.
Sulla 80: conceditis *profecto.*
Caec. 70: quod vobis venire in mentem *profecto* necesse est.

potes *profecto:* d. leg. 1, 5; Deiot. 15.
habes *profecto:* Att. 4, 17, 4. habetis Mil. 4.

Postremo exemplis quibusdam veram propriamque nostrae particulae notionem ostendamus.

Gravissimi videntur esse loci hi:

Att. 2, 23, 3: quamobrem si me amas tantum, quantum *profecto* amas, . . . expergiscere . . .

Att. 2, 20, 5: tu si me amas tantum, quantum *profecto* amas, expeditus facito . . .

Cui utrique loco ex adverso positi sunt duo loci, quibus »certe« pari modo adhibetur:

ep. 9, 13, 4: reditum, si me tantum amas, quantum certe amas, hominibus confice ...

ep. 11, 16, 3: nunc si me tanti facis, quanti certe facis, mitte ad Lupum nostrum.

Quem ad modum hanc discrepantiam explicari censes? An reapse *profecto* et certe idem valent et discrimen statuere verborum aucupii captationisque est? Minime vero: ibi *profecto*, hic certe aptissimum est.

In illis ad Atticum datis litteris Ciceroni licuit pro intima illa familiaritate paulum dubitare de illius amore. Quodcum *profecto* addito dubitationis speciem interposuit, eo vehementius amicum commotum iri sibi persuasit Cicero.

Longe aliter res se habet sequentibus locis. Quam importuna, ne dicam inepta fuisset talis sinceritas in illis litteris, quas misit ad Dolabellam et Brutum.

Quamquam enim Dolabella amicitiam, qua cum Cicerone socero erat coniunctus, dissuerat Tulliae nuntio remisso, tamen Cicero artificio simulationis homo eruditissimus in maxima invidia Dolabellae, qui quanto in honore apud Caesarem esset, haud ignoravit, omni modo blandiri studuit. Quare sibi ipse officeret Cicero, si scriberet: »quantum *profecto* amas«, non quo tam arto amicitiae vinculo cum eo coniunctus esset, ut »certe« dicere deberet, sed quod dolis et fallaciis circumvenire contendit odiosum illum generum.

Non dissimilis est alterius loci ratio, qui epistularum libr. XI in sexta decima invenitur data ad D. Brutum. Quo etsi Cicero familiarissime utebatur, tamen eorum consuetudo non tam intima atque familiaris erat, ut Cicero amicitiam in dubio ponere auderet, id quod locutione »*profecto* facis« fieret.

Quoniam de praesentis altera persona satis verba fecisse videmur, accedamus ad eandem futuri personam, quae multo evidentius planiusque veram particulae *profecto* vim prae se fert. Usurpatur *profecto*, si quis significare vult, quid alter sua quidem sententia facturus sit. Hic quoque complures locutiones in formularum quasi consuetudinem venerunt, velut:

intelleges *profecto*: Att. 11, 5, 3; ep. 6, 2, 3; Quint. 79; Rosc. 48; Cluent. 160.

reperies *profecto*: Att. 9, 11a, 2; ep. 5, 13, 3: d. leg. agr. 2, 3; Scaur. 4, 5;

efficies *profecto*: off. 1, 2; consequere ep. 7, 11, 3,

ignoscetis d. or. 2, 361; requiretis d. invent. 1, 52; dices ad. Att. 7, 9, 2; cognosces 2, 3, 2; non audebis *profecto* Tusc. 2, 45; dabitis acad. 1, 24; Verr. a. pr. 32; facilem te praebebis Att. 14, 13a, 2; accipies ep. 11, 2, 1; non obliviscere ep. 11, 5, 2; incipies div. in Caec. 45; maletis Font. 43; vinces Caec. 60; dubitabis ad Br. 1, 13, 1; dubitabitis Tull. 26; pertimescetis har. resp. 62; dabis Deiot. 40; consequemini Phil. 6, 19;

Spectat huc haec quoque structura:

d. or. 2, 16: te exorabo *profecto*, quae reddimus: du wirst dich gewiss erbitten lassen.

Hac data occasione strictim adnotaverim saepissime ea ratione inter se mutari subjecta, ut, quod homo Latinus objectum intellegit, rectius subiectum sit habendum; huius loci similiter dicuntur: offendo te — du fühlst dich beleidigt; impetro a te — du thust mir den Gefallen. Qua re, quod supra commemoravimus, »docebo *profecto*« (ep. 7, 1, 5) rectius huc referri debet: »du wirst zu der Erkenntnis kommen.«

Non alienum esse videatur talem locum, quo »certe« simili modo usurpatum forsitan quis censeat, leviter perstringere; exempli causa affero ep. 1, 9, 22: »me quidem certe tuarum actionum.. socium habebis.« Quis est, quin primo adspectu huius locutionis vim notionemque perspiciat? His enim litteris Cicero promittit Lentulo, ut ille semper omnibus viribus auxisset atque ornasset, ita se operam daturum, ut illius commodis serviret. At si dixisset Cicero: »*profecto* habebis me socium«, manifestum est haud ita laetaturum fuisse Lentulum amicissimi munere. Atque haec quidem de alterius personae usu.

Videamus nunc, quemadmodum tertia praesentis et futuri persona cum *profecto* particula coniuncta inveniatur. Ac primum videtur permirum et memoratu dignum, quod tertia praesentis persona exceptis paucissimis locis non nisi verbi substantivi adhibetur (circiter quinquagies); huc accedunt alia verba auxiliaria et paucissima communia. Quos locos, cum verbum e verbo exponere supervacaneum videatur, enumeremus:

est. fin. 1, 41; 4, 32; Tusc. 1, 94; 3, 6; 4, 75; 5, 43; d. off. 1, 111; Lael. 70; d. div. 1, 47; 1, 117; parad. 1, 15; or. 97; 100. d. invent. 1, 26; Acad. 2, 6; 2, 141; d, leg. 1, 1; 1, 28; 2, 40; 2, 69; 3, 18; fr. 1, d. d. nat. 1, 24; 1, 48; 2. 16; 3, 85; ad Att. 10, 4, 11; 12, 1, 2; 12, 3, 1; ep. 3, 9, 3; 5, 19, 2; 11, 4, 1; 15, 4, 15; 15, 6, 1. Quinct. 5. Rosc. 120; 121; 124; Caec. 48. Cluent. 189. Flacc. 53; d. leg. agr. 2, 35; d. domo 1; Phil 5, 3.

sunt: fin. 4, 66; parad. 6, 48; part. or. 71. d. d. nat. 2, 78; d. leg. agr. 3, 9.

potest: or. 133; d. invent. 1, 69, 1, 75. d. d. nat. 1, 5; ad Att. 10, 4, 1; Rosc. 62; 150. Verr. 2, 44. Font. 45.

habet: d. div. 1, 23; d. or. 2, 271; d. leg. 1, 58; Att. 1, 11, 1. Qu. fr. 2, 2, 1. Verr. 4, 68.

debet: ep. 13, 49, 1. Font. 27.

Quod Verr. 2, 2, 44 Müller »*profecto* enim negare non potes te ... debuisse« textui inseri vult Halmio Klotzioque repugnantibus, qui »negari non potest« scribunt, verborum collocatio quod perspexerim, illam scripturam ferri prohibet. Nam simulatque *profecto* primum enuntiati locum obtinet, coniunctum esse solet vel tertiae vel primae personae, alteri non item, nisi quod condicionalis enuntiatio subsequitur; sin autem huic personae additur, plerumque quam proxime enuntiati verbum positum est. Quod verum esse ut tibi persuadeas, conferas velim hos locos:

d. d. nat. 1, 14; 1, 102; d. invent. 1, 3; ad Att. 4, 16, 9; 5, 18, 3; ep. 8, 4, 4; Rosc. 101; Verr. 2, 175; 3, 72; 3, 89; 4, 12; 5, 16; Cluent. 66.

Quae cum ita sint, facere non possum, quin, praesertim cum utraque lectio pariter respondeat sententiarum conexui, Halmio astipuler scribenti »negari non potest.«

Praeter haec auxiliaria verba, quae, ut iam supra commemoravimus, inferioris sunt loci quam cetera, pauca inveniuntur, quorum praesens nostrae particulae additur; qui usus, quoniam facillime

potest in controversiam adduci, exemplis quibusdam illustretur. Notissimo illo loco Catil. 2, 2 describere vult Cicero, qua in condicione Catilina versetur eiusque solitudo. »Abiit, excessit, evasit, erupit.« Nonne, pergit Cicero, Catilinam maximo maerore afflictum et profligatum eos putare, quod non esset consecutus, ut administrorum opera nefaria consilia perageret, quod incolumes cives, stantem urbem reliquisset: »Jacet ille nunc prostratusque est et se perculsum atque abiectum esse sentit et retorquet oculos *profecto* saepe ad hanc urbem, quam e suis faucibus ereptam esse luget«. Nonne luce clarius hic affirmandi vel asseverandi particulam abs re esse ex totius ambitus sententia apparet? Simili modo patrio sermone reddimus: »Jetzt liegt er zu Boden geschmettert da, merkt, dass es um ihn für immer geschehen, und wendet gewiss oft seinen Blick nach unserer Stadt zurück.«

Verr. 5, 16: »*Profecto* homo dives repente a Verre non sine causa citatur.«

Ubi primum Panormum venit Verres, Apollonium quendam, quo tota urbe nemo erat clarior, ad se vocari et de tribunali citari iussit concursu magno frequentiaque conventus; homines, qui mirabantur pecuniosum illum hominem tam diu integrum a Verre mansisse, aliquam gravissimam subesse causam colligunt: »da muss doch etwas vorliegen; ein reicher Mann wird von Verres nicht ohne Grund vorgeladen.«

Tusc. 1, 109: *profecto* oppetitur; 3, 14 extimescit, Lael. 48 cadit; d. div. 1, 114 cernunt. d. or. 1, 135 prosunt. d. leg. 2, 11: constat *profecto.* d. rep. I fr. 2 debetur. d. rep. 3, 49 fit. d. d. nat. 1, 102 existimat. ep. 6, 1, 6: consolatur. Rosc. 30; non deest, Marc. 15: declarat, d. leg. agr. 2, 17.

His solis locis, qui sunt quindecim, »*profecto*« praesenti verborum non auxiliarium coniungitur.

Multo copiosior et usitatior est usus futuri, quod maxime naturae eius particulae, quam tractamus, consentaneum est. Quinquies decies invenimus vulgarium verborum praesentem, futurum paene quadragies; »erit *profecto*« vero non nisi novies. Ne longus sim, omnes, qui huc spectant, locos enumerabo, non enarrabo, cum plerique infra diligentius exponantur:

erit *profecto:* d. or. 1, 50; 2, 3; ep. 2, 16, 6. Quinct. 39 (Mueller »erat« cf. supra p. 17). Font. 25. Catil. 4, 21; 4, 23; Mil. 69. ep. 13, 13, 1.

poterit *profecto:* ad Br. 1, 16, 5.

Tusc. 1, 46 cernentur; 2, 31 cedet. d. off. 3, 31 decernet. Lael. 50 concedetur. d. or. 1, 67 efficiet; d. or. 2, 176 requiret; or. 119: referet. or. 148 respondebunt. d. invent. 1, 56: non patietur. 2, 9 paenitebit. Br. 200 intelleget. Cornif. 4, 54 putabit. d. leg. 1, 14 deerit. d. petit. 19 excitabuntur. 55. pertimescent. d. d. nat. 1, 14: coget. ad Att. 3, 15, 3: faciet. ep. 3, 5, 2 intellegent. ibid. 8, 4, 4 transigetur. ibid. 13, 64, 2: utetur. div. in Caec. 1. putabit; 55: proferet. Caec. 70 reperietur. Verr. 2, 2, 175: mentientur. 2, 4, 82 volet, Cluent. 66: dicetur. d. leg. agr. 2, 62: perficiet. Catil. 3, 2: debebit. 4, 22 reperietur. Mur. 3 debebit. Cael. 33 aget. Cael. 67 explicabunt. Mil. 16: dicet. Phil. 1, 21 vocabuntur. 12, 32 volet. 12, 26 abstinebit. 13, 22: desinet.

Quamquam huic quaestionis parti pauca adiungere de genere verborum, quae adduntur *profecto* particulae, non alienum est, tamen id satis habeamus in brevi conspectu ponere, quae adhuc exposuimus:

I. »*Profecto*« coniungitur nec imperfecto nec plusquamperfecto, raro perfecto idque tantummodo eius vel alteri vel tertiae personae tum cum is, qui verba facit, id significat, quod alterum fecisse verisimile est.

II. Praesentis potissimum altera persona invenitur, tertia plerumque apud auxiliaria verba.

III. Facillime futuro additur »*profecto*« sine ulla condicione, et primae et alteri et tertiae personae.

§ 2.

Quibus in enuntiatis usurpetur „profecto“.

Profecto particulae usum tam certis atque firmis astrictum esse legibus, quam vix ullius et ex iis, quae adhuc de temporibus disputavimus, planissime apparere videtur et ex ea ratione, qua hanc particulam in enuntiatis quibusdam usurpatam reperimus. —

Latissime autem patet eius usus in sententiarum condicionalium apodosi, ut haec confidentius, magis ex dicentis sensu adiciatur protasi. Quodsi reales et irreales praecipue condiciones hac ratione utuntur nostra particula, rarissime potentiales (bis: d. div. 1, 127 et Cael. 1), hac in re maxime haud scio an sit conspicua vera propriaque particulae notio. Namque cum potentiales condiciones iam per se ipsae sint subiectivi, ut ita dicam,

coloris itaque apodosis non omnium consensu aut certo iudicio adiungatur, maxime est supervacaneum subiectivam particulam, quae est *profecto*, addere. Eadem est ratio enuntiationum optativarum, quibus item conclusio per *profecto* particulam adicitur, ut haec conclusio speciem probabilitatis prae se ferat, h. e. subiective ex sensu illius, qui verba facit. Qua re non convenit »profecto« in veras optationes (excepto uno loco: Att. 14, 17, 2: »De Buthrotio negotio utinam quidem Antonium conveniam! multum *profecto* proficiam.«), sed contra in eas irreales, quae eodem modo, quo supra p. 17 de irrealibus condicionibus disputatum est, forma potius, non sensu sunt optativae. Huc pertinentes locos, ut sunt pauci, iam hic afferamus:

Br. 103: Utinam in Ti. Graccho Gaioque Carbone talis mens ad rempublicam bene gerendam fuisset, quale ingenium ad bene dicendum fuit: *profecto* nemo his viris gloria praestitisset.

ep. 10, 33, 1: atque, utinam . . . me quoque iussissetis venire! *Profecto* non accepisset respublica hoc vulnus.

ep. 4, 1, 1: utinam . . . colloqui potuissemus inter nos! *profecto* aliquid opis occidenti reipublicae tulissemus.

Att. 2, 22, 1: Quam vellem Romae mansisses! *Profecto*, si haec fore putassemus, (sc. mansisses).

Att. 4, 16, 9: Sed hoc mallem integra re tecum egisse: *profecto* enim aliquid egissem.

a. condiciones reales.

Redeamus, si placet, ad condicionales enuntiationes. Quod ad reales attinet, eo munere fungitur »profecto«, ut conclusio non tam in re atque natura posita esse significetur, quam in opinione verba facientis. Unde efficitur, ut ita usurpatum »profecto« idem fere valeat, quod Graeci optativo modo cum ἄν particula coniuncto solent exprimere. Itaque non immerito illam formam:

»prot: si c. ind. apod.: *profecto* c. indic.«,

peculiarem condicionum casum interpreteris, qui mediam habet sedem inter realem et potentialem condicionem. Simili modo Graeci quoque mediam quandam locutionem adhibent, cum dicant:

prot. εἰ c. indic. apod. opt. c. ἄν. Velut Xen. Memorab. 2, 2, 3: οὐκοῦν, εἴ γε οὕτως ἔχει τοῦτο, εἰλικρινής τις ἂν εἴη ἀδικία ἡ ἀχαριστία. — ibid. 2, 5, 4: οὐκοῦν . . . εἴ γε ταῦτα τοιαῦτά ἐστι, καλῶς ἂν ἔχοι ἐξετάζων τινὰ ἑαυτόν.

Jam vero afferamus locos, qui huc pertinent.

1. cum praesente:

d. leg. 1. 1: si manet illa quercus, haec est *profecto.*

d. divin. 1, 117: haec si tenemus . . . , *profecto* hominibus a dis futura significari necesse est.

parad. 1,15: atqui si voluptas . . . in rebus bonis habenda non est ... *profecto* nihil est aliud bene et beate vivere nisi honeste et recte vivere.

Sull. 80: sed si laedimur, si accusamur, si in invidiam vocamur, *profecto* conceditis, iudices, ut nobis libertatem retinere liceat.

acad. 2, 6: etenim, si quodam in libro vere est a nobis philosophia laudata, *profecto* eius tractatio optimo atque amplissimo quoque dignissima est.

d. d. nat. 3, 85: sic mundi divina moderatio *profecto* nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum et malorum.

Praeterea: d. or. 1, 135. ep. 15, 4, 15. Quinct. 54. Rosc. 62. Mil. 4. Deiot. 15.

Protasi omissa: Lael. 70: quod est multo *profecto* magis in veris patribus certisque faciendum.

profecto in apodosi eius condicionis, quae pendet ex voce »quodsi«.

fin. 1, 41: quodsi vita doloribus referta maxime fugienda est, summum *profecto* malum est vivere cum dolore.

ad Qu. fr. 1. 4. 2: quodsi te satis innocentia tua . . . vindicat a molestia, perspicis *profecto* ecquaenam nobis spes salutis relinquatur.

Quinct. 5: quodsi tu iudex nullo praesidio fuisse videbere . ., si ex opibus, non ex veritate causa pendetur, *profecto* nihil est iam sanctum atque sincerum in civitate etc.

Quando quidem, qui adhuc commemorati sunt, loci omnes proxime accedunt ad ratiocinationem — quid est enim aliud realis condicio nisi mera ratiocinatio, quem syllogismum vocant logici? — ceteros locos, quibus »*profecto*« in iusto syllogismo idque in conclusione est positum, afferamus:

d. d. nat. 2, 16: esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis arrogantiae est. Ergo est aliquid melius. Est igitur *profecto* deus.

d. d. nat. 1, 48: quodsi omnium animantium formam vincit hominis figura, deus autem animans est, ea figura *profecto* est, quae pulcherrima sit omnium.

Tim. 6: atqui si pulcher est hic mundus et si probus eius artifex, *profecto* speciem aeternitatis imitari maluit.

Parad. 1, 15: atqui si voluptas ... in rebus bonis habenda non est, *profecto* nihil est aliud bene et beate vivere nisi honeste et recte vivere.

de invent. 1, 69: quodsi leges omnes ad utilitatem rei publicae referri convenit, hic autem saluti reipublicae fuit, *profecto* non potest eodem facto et communibus fortunis consuluisse et legibus non obtemperasse.

Tusc. 3, 14: Qui fortis est, idem est fidens. Qui autem est fidens, is *profecto* non extimescit.

de div. 1, 114; Tusc. 5, 116.

2. cum perfecto.

Huic de syllogismis quaestioni adiunguntur condicionales enuntiationes, quarum in apodosi, in praeteritum tempus recedente, »*profecto*« adhibetur.

Caec. 48: Si enim id ... nullo modo potuit, vis *profecto* quaedam obstiterit, necesse est.

Cael. 53: si tam familiaris erat Clodiae, quam tu esse vis ... dixit *profecto*, quo vellet aurum.

or. 19: quodsi ille nec se nec L. Crassum eloquentem putavit, habuit *profecto* comprehensam animo quandam formam eloquentiae.

consol. 11 (Mueller p. 335): Quodsi ullum umquam animal consectandum fuit, illud *profecto* fuit.

3. cum futuro.

Quodsi eorum viginti locorum natura, qui »profecto« in apodosi realium condicionum cum praesente et perfecto coniunctum exhibent, demonstrat, quam non sit asseverantis illud: qui sequuntur loci quadraginta multo planius veram sinceramque particulae notionem eperiunt, cum hic »*profecto*« addatur futuro, quod, ut supra exposuimus, maxime est proprium huius particulae potestatis. Affero omnes, qui huc pertinent, locos:

d. or. 1, 150: nam si subitam et fortuitam orationem commentatio ... facile vincit, hanc ipsam *profecto* assidua ac diligens scriptura superabit.

d. or. 2, 176: si vero assequetur, ut animos eorum ita afficiat, apud quos aget ..., nihil *profecto* praeterea ad dicendum requiret.

d. or. 1, 67: sin quae res inciderit ..., hoc *profecto* efficiet, ut ..

d. or. 2, 361: sed mihi ignoscetis *profecto*, si modo, quae causa me ... impulerit, acceperitis.

d. or. 3, 145: si ego sum tardior, *profecto* numquam conquiescam neque defatigabor, antequam ...

or. 148: quae si erunt perfectae, *profecto* forensibus nostris rebus etiam domesticae litterae respondebunt.

d. invent. 1, 52: nisi hoc perfeceritis ..., *profecto* semper id, quod optimum putabitis esse, multo maxime requiretis.

Br. 200: ea si praeteriens ... aspexerit, tamen oratorem versari in illo iudicio ... *profecto* intelleget.

d. div. 2, 6: quod assequar *profecto*, si instituta perfecero.

Att. 4, 1, 2: nisi praetermissos fructus tuae suavitatis ... exegero, *profecto* hac restitutione fortunae me non dignum iudicabo.

Att. 5, 18, 3: *profecto* nihil accipiam iniuriae, si tu aderis.

Att. 9, 11a, 2: quod si ita est ..., *profecto* reperies neminem.

ep. 1, 8, 3: quod *profecto* faciam, si mihi per eiusdem amicitiam licebit.

Att. 11, 22, 2: *profecto* aliquid profecero, si id acciderit.

ep. 2, 16, 6: si quando erit civitas, erit *profecto* nobis locus.

ep. 5, 9, 2: et *profecto* tibi illum reperiam, nisi si in Dalmatiam aufugerit.

ep. 6, 2, 3: Quae vis insit in his paucis verbis, ... si attendes, quod facis, *profecto* etiam sine meis litteris intelleges.

ep. 7, 1, 5: si me relaxaro ... te ipsum docebo *profecto*.

ep. 11, 5, 2: Tu si dies noctesque memineris ... quantam rem gesseris, non obliviscere *profecto*.

Att. 14, 13a. 2: sed mehercule, si humaniter ... in me cogitare vis, facilem *profecto* te praebebis.

ad. Brut. 1, 13 1: hoc si a te impetro, nihil *profecto* dubitabis pro iis suscipere.

div. in Caec. 1: si quis vestrum ... forte miratur me ... subito nunc mutata voluntate ad accusandum descendere, is, si mei consilii causam ... cognoverit, una et id, quod facio, probabit et in hac causa *profecto* neminem praeponendum mihi esse actorem putabit.

div. in Caec. 70: si ne hoc quidem, prodesse poterit, *profecto* nulla umquam medicina ... reperietur.

div. in Caec. 55: nam iste eam *profecto*, nisi plane nihil sapit, numquam proferet.

Verr. 2, 175: *profecto*, si recte homines novi, non mentientur.

Font. 25: quae si iudex non amplectetur omnia consilio ..., *profecto* satis erit ... non surdum iudicem huic muneri praeesse.

Font. 43: quae si diligenter attendetis, *profecto* . . . virum domi retinere quam tradere maletis.

Cluent. 7: si qui mihi deus vestram ad me audiendum benevolentiam conciliarit, efficiam *profecto,* . . .

d. leg. agr. 2, 3: nam *profecto,* si recordari volueritis de novis hominibus, reperietis eos, qui sine repulsa consules facti sunt, diuturno labore.

Catil. 2, 28: si vis . . . me necessario de hac animi lenitate deduxerit illud *profecto* perficiam, ut . . .

Arch. 4: quod si mihi a vobis tribui . . . sentiam, perficiam *profecto,* ut . . .

Cael. 33: qui *profecto* si exstiterit, sic aget . . .

Cael 67: qui se numquam *profecto,* si in istum locum processerint, explicabunt.

Phil. 13, 22: si quis dubitare adhuc potuit . . ., desinet *profecto* dubitare.

»*Profecto*« cum futuro coniunctum in apodosi eius condicionis, quae pendet ex »*quodsi.*«

de invent. 2, 9: quodsi ea . . . tanto opere eligenda fuerunt, quanto studio electâ sunt, *profecto* neque nos neque alios industriae nostrae paenitebit.

ep. 3, 2, 1: quodsi tu quoque eandem de mea voluntate erga te spem habes, ea *profecto* numquam fallet.

ep. 10, 23, 6: quodsi vos istic non defueritis, *profecto* omnibus rebus abunde rei publicae satisfaciam.

Mur. 3: quodsi . . . is periculum iudicii praestare debet, qui se nexu obligavit, *profecto* etiam rectius in iudicio . . . is potissimum consul . . . auctor beneficii populi Romani esse debebit.

sive—sive cum sequente *profecto.*

ep. 9, 1, 2: sive in Tusculano sive in Cumano ad te placebit sive . . . Romae, dummodo simul simus, perficiam *profecto,* ut . .

p. Caec. 9: verum sive vos existimationis illius periculum sive iuris dubitatio tardiores fecit . . ., alterius rei causam vosmet ipsi . . . sustulistis, alterius ego vobis . . . causam *profecto* auferam.

Hunc condicionalem, ut ita dicam, huius particulae usum exemplis quibusdam illustrare atque axplanare, ne longus sim, supersedeo; non quod minus videatur idoneus, ex quo vera rectaque *profecto* particulae notio enucleetur, sed potius quia tam perspicuum apertumque eum putamus, ut ex suo quisque sensu facillime possit iudicium facere. Atque si quis »certe« quoque eodem modo in

condicionibus usurpatum contra dicat, facillime re diligenter examinata intelleget hic quoque illud, quamvis subtile tenueque discrimen esse tenendum. Huc accedit, quod temporum usus apud *profecto* est tam peculiaris (praes. et perf. vix vicies, fut. plus quadragies), ut promiscue illas particulas esse adhibitas non possit dici.

Nunc sequuntur loci, paucissimi sane, qui usum apud »certe« usitatissimum praebent.

Ac ne illi, pauci quidem loci, quam supremam statuimus legem, disturbare videantur, paucos explicemus.

Quod verbi causa dicit Cicero (ep. 15, 4, 13) »si quisquam fuit umquam remotus ... ab inani laude, ego *profecto* is sum«, quis est qui ignoret, quam commode apteque hic positum sit *profecto*? Quodcum hac utitur particula, quodammodo alterius arbitrio iudicium permittere vult Cicero; sin autem diceret: »certe is sum«, nimis verecundiae modestiaeque fines transiret.

Similiter iudicandi sunt ceteri loci:

fin. 5, 78: si est quisquam, qui acute in causis videre soleat, is es *profecto* tu.

off. 1, 111: si quisquam est decorum, nihil est *profecto* magis quam aequabilitas.

Br. 7: quodsi fuit in republica tempus ullum, cum extorquere arma posse e manibus ... oratio, tum *profecto* fuit, cum ...

Commodissime adiunguntur:

Mil. 4: nam si umquam de bonis et fortibus viris ... potestas vobis iudicandi fuit, hoc *profecto* tempore eam potestatem habetis.

ep. 13, 49, 1: is cum antea ... auctoritatem tueri consuerit, nunc *profecto* ... meis litteris assequi debet.

Qu. fr. 1, 1, 29: quod fortasse aliquando universae reipublicae nostrae, nunc quidem *profecto* isti provinciae contigit, ut ...

b. condiciones irreales.

Ut a certa ratione proficiscamur, nunc, posteaquam, quomodo in realibus condicionibus et ceteris id genus *profecto* usurpetur, comprobavimus, de irrealibus sententiis verba faciam; qui usus quoniam latissime patet, uberius copiosiusque est explanandus. Si ullo loco, certe hoc maxime cognoscitur, quae sit vera integraque *profecto* particulae potestas. Sed quandoquidem vetus est similia ex similibus facillime perspici, ubicumque non alienum erit,

eos potissimum locos afferam, quibus »certe« similiter usurpatum videtur. Maxime idoneum exemplum verbi causa est:

d. or. 1, 57: »et *profecto*, nisi ludos nunc faceret, huic nostro sermoni interesset.« Cicero L. Crassum, qui cum aliis oratoribus claris sermonem de oratore habet, non affirmantem facit M. Marcellum, qui, tum forte aedilis curulis, illi disputationi interesse non potuit, revera adfuturum fuisse, nisi munere distentus esset, sed Crassus sua ipsius sententia existimat hanc esse Metelli absentiae causam.

Saepissime falso intellegitur et transfertur locus ille clarissimus ex Aristotelis libro, qui inscribitur περὶ φιλοσοφίας, petitus: d. d. nat. 2, 95: haec (sc. totius mundi convenientiam et consensum) cum viderent, *profecto* et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur.« Quae verba vulgo ita redduntur: »wenn sie all' das (die Harmonie der ganzen Welt) sähen, wahrlich dann würden sie glauben etc., cum Aristoteles nihil dicere in animo habeat nisi: »dann würden sie gewiss glauben.« Recte explanatus est hic locus apud »Dilthey, Einleitung in die Geisteswissenschaften« p. 269.

Lael. 50: quod non faceret *profecto*, si a caritate vulgi abhorreret.

Br. 198: si quaereretur, uter praestaret orator, numquam *profecto* sapientis iudicium a iudicio vulgi discreparet.

Att. 11, 10, 2: quae essent *profecto* crebriores, si quid haberes, quo putares meam molestiam minui posse.

ep. 13, 21, 1: quem si arbitrarer esse Sicyone ... nihil esset necesse plura me scribere, perficeret enim ipse *profecto* ut ...

ad Br. 2, 5, 2: id *profecto* nullum esset, nisi tum conservatus esset Antonius.

Quinct. 46: *profecto*, si quid deberetur, peteret.

Verr. a. pr. 9: quod si ... in alicuius eloquentia aut gratia spem aliquam conlocasset, *profecto* non haec omnia conligeret atque aucuparetur.

Flacc. 93: qui *profecto* de tanta pecunia si esset data, nihil audisse non posset.

d. domo 88: ac si me populus Romanus ex civitate eiecisset . ., tamen *profecto* nemo tam esset amens ...

d. harusp. resp. 57: etenim si unum hominem deterrimum poëta ... vellet inducere, nullum *profecto* dedecus reperire posset,...

Mil. 2: sed me recreat Pompei . . . consilium, qui *profecto* nec iustiiae suae putaret esse . . . eumdem telis militum dedere.

Deiot. 23: quem *profecto* . . . si nosset, contemneret.

cum altera persona coniunctum:

d. or. 1, 76: sed is, si qui etiam umquam fuisset aut vero, si esse posset, tu esses unus *profecto*.

d. d. nat. 1, 54: cuius (sc. dei) operam *profecto* non desideraretis, si immensam . . . magnitudinem regionum videretis.

Att. 2, 19, 1: cur non ades? nihil te praeteriret.

Rosc. 50: etenim, qui praeesse agro colendo flagitium putes *profecto* illum Atilium . . . hominem turpissimum . . . iudicares.

Verr. 3, 52: *profecto*, quamquam es singulari crudelitate, tamen abs te totam alienari provinciam nolles, nisi hanc rationem... pecuniae cupiditas . . . superaret.

d. domo 84: qui si viveret, tu *profecto* non viveres.

d. prov. consul. 1: ac si princeps eam sententiam dicerem, laudaretis *profecto*, si solus, certe ignosceretis. (de hoc loco videas paulo inferius.)

Primae personae additum:

d. or. 3, 215: sed ea, si satis in actione efficeret ipsa per se, arte *profecto* non egeremus.

Att. 10, 11, 3: nam suas radices habent, quas tamen evellerem *profecto*, si liceret.

Rosc. 101: *Profecto* non tam perspicue nos istorum maleficia videremus, nisi ipsos caecos redderet cupiditas.

Font. 33: quod ego *profecto* non crederem, nisi aliquotiens ex ipsis accusatoribus . . . audissem.

Phil. 5, 30: sed tamen si ex eo tempore dies nullus intermissus esset, bellum *profecto* nullum haberemus.

Phil, 5, 51: quod *profecto* cum me nulla vis cogeret, facere non auderem.

Att. 2, 16, 3: quodsi in eam me partem incitarem, *profecto* iam aliquam reperirem resistendi viam.

Quoniam omnes condiciones, in quibus »*profecto*« cum condicionali modo primo (coni. imperfecti) coniungitur, enumeravimus, paucos locos, quibus »certe« similiter usurpatum videtur, afferamus, quo facilius particularum certe et *profecto* discrimen cognoscatur.

Ad eundem Dolabellam, cuius supra pluribus verbis mentionem fecimus, epistulam quamdam ep. 11, 9, 1 dedit Cicero, in

qua scripta invenimus haec: »quem (sc. casum ereptae filiae) . . ferrem certe moderatius, si te haberem.« Cicero cum Tulliae, quam in oculis ferebat, morte gravissime afflictus a Dolabella litteras consolatorias accepisset, simulat se epistula eius, qui repudio dicto Tulliae vitam fortunamque in sempiternum everterat, maxime esse levatum atque erectum, ut omni modo potentissimo illi Caesariano blandiatur. Quodsi scriberet: »quem ferrem *profecto*,« apertius sane quidem, quid vere sentiret, significaret, sed illi non diceret blanditias.

Sed fieri non potest, ut omnes huc pertinentes locos copiosius explicem; affero tantummodo:

ep. 7, 11, 1: nisi ante Roma profectus esses, nunc eam certe relinqueres.

ep. 7, 14, 2: Quod certe ita fieret, si tu maluisses benevolentiae quam litium iura perdiscere.

Arch. 29: certe, si nihil animus praesentiret in posterum..., neque tot curis vigiliisque augeretur nec totiens de ipsa vita dimicaret.

ep. 10, 18, 3; 10, 4, 2. ad Att. 10, 11, 1;

Hoc haud ita frequenti usu leviter perstricto aggrediamur ad illas sententias, in quibus *profecto* cum condicionali secundo (coni. plusquamperfecti) coniunctum invenimus.

Profecto tertiae additum personae.

fin. 1, 20: quod *profecto* numquam putavisset, si a Polyaeno geometrica discere maluisset.

Tusc. 4, 5: numquam *profecto* scholis essent excitati ..., nisi in quibusdam principibus ... fuissent studia doctrinae.

d. off. 3, 110: cui nisi ipse auctor fuisset, captivi *profecto* Poenis redditi essent.

Lael. 13: quod non fecissent *profecto*, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur.

d. div. 2, 14: si quis M. Marcellum illum ... dixisset naufragio esse periturum, divinasset *profecto*.

or. 222: nisi intervallo dixisset »ipsi prodeant«, sensisset *profecto* se fudisse senarium.

d. invent. 1, 3: *profecto* nemo nisi gravi et suavi commotus oratione ... ad ius voluisset sine vi descendere.

Verr. 3, 72: *profecto* si pretium exquisisses diligenter, ... addidissent.

Verr. 3, 89: *profecto* numquam iste tam amens fuisset, ut . . . pateretur, nisi omnis ea praeda . . . perveniret.

Cluent. 160: Haec si Accius aut cognovisset aut cogitasset, *profecto* ne conatus quidem esset dicere.

Catil. 3, 22: tantae res creditae . . . numquam essent *profecto*, nisi . . . consilium esset ereptum.

Arch. 16: qui *profecto*, si nihil ad percipiendam colendamque virtutem litteris adiuvarentur, numquam se ad earum studium contulissent.

p. red. 11: nisi rogationem de piratico bello tulisset, *profecto* egestate et improbitate coactus piraticam ipse fecisset.

Cael. 69: quod *profecto* numquam hominum sermo atque opinio comprobasset, nisi omnia . . . in istam quadrare apte viderentur.

Planc. 87: nam *profecto* numquam id mihi ipsi auxilium meum defuisset.

Mil. 61. Mil. 68. Lig. 10. Phil. 3, 6.

alteri personae additum:

Att. 3, 15, 4: sed *profecto* si quantum me amas et amasti, tantum amare deberes ac debuisses, numquam esses passus.

ep. 1, 9, 22: quae me moverunt, movissent eadem te *profecto*.

Rab. 25: qua in causa tute *profecto* fuisses, si per aetatem esse potuisses.

Rab. 25: quod tu si audisses . . ., numquam *profecto* istam imaginem . . . in rostra attulisses.

Verr. 3, 134. Phil. 11, 23.

Profecto in irrealibus condicionibus, quarum hypothesis pendet ex quodsi.

ep. 7, 10, 1: quodsi in Britanniam quoque profectus esses, *profecto*, nemo in illa tanta insula peritior te fuisset.

d. leg. agr. 2, 89: quodsi maiores nostri existimassent quemquam . . . P. Rulli similem futurum . . ., *profecto* nomen illius urbis non reliquissent.

Mur. 17: quodsi id crimen homini novo esse deberet, *profecto* mihi neque inimici, neque invidi defuissent.

Phil. 1, 12: quodsi scisset, quam sententiam dicturus essem, remisisset aliquid *profecto* de severitate cogendi.

Lig. 25: quodsi Caesaris causa in provinciam veniebatis, ad eum *profecto* exclusi provincia venissetis.

Att. 10, 12b, 2: quodsi nobis is cursus, quem speraram, pateret, effecissem aliquid *profecto*.

Si paulo diligentius consideraverimus, quemadmodum »*profecto*« adhuc in irrealibus condicionibus sit usurpatum, haud scio an non casu factum videatur, ut omnino non cum prima persona (excepto uno loco, cuius protasis pendet ex »quodsi«) coniunctivi plusquamperfecti, raro cum eadem persona coni. imperfecti coniunctum inveniatur. Si esset affirmativa particula, nonne maxime esset consentaneum eum, qui verba facit, affirmare huius particulae opera id, quod fecisset vel. ut planius quam rectius dicam, facturus fuerit, si condicio quaedam fuisset?

Multo saepius c e r t e particula additur primae personae modi condicionalis; multo rarius ceteris personis; ut pauca saltem afferam, conferas velim:

ep. 3, 10, 6: 10, 22, 2; 14, 4, 1.

Quamquam ad designandum hunc usum pluribus verbis opus non est, tamen facere non possum, quin uno loco illustrando certe particulae notionem hac in re explanem.

d. fin. 2, 58: »quoniam idem tu certe fecisses.«

Cicero narrat Sex. Peducaeum, quamquam Epicuri disciplinam professus esset, C. Ploti cognatis hereditatem ab illo commissam reddidisse, et ad Manlium Torquatum conversus, quocum sermo de finibus bonorum et malorum habitus fingitur, pergit: »Sed ego ex te quaero, quoniam idem tu c e r t e fecisses, nonne intellegas eo maiorem vim esse naturae, quod . . .« Sin autem diceret Cicero »quoniam idem tu *profecto* fecisses«, maxima contumelia afficeret Torquatum, quasi vero fide auctoritateque alterius opus esset, ut demonstraretur illum aeque liberaliter ingenueque ac Peducaeum fuisse facturum.

Similis est ratio horum locorum:

ep. 1, 9, 2 (bis); 7, 6, 1; 3, 10, 6; 10, 22, 2; 14, 4, 1; Att. 1, 16, 1; Flacc. 92.

c. enuntiationes, quae sunt pro condicionibus.

Vidimus, quomodo *profecto* in veris propriisque condicionibus adhibeatur. Sequitur, ut eas sententias condicionales commemoremus, quae, etsi condicio non est in aperto, sed variis formis involuta, in hoc tamen numero sunt habendae.

Ut ab simplicissima ratione proficiscamur, primum est *profecto* in apodosi, quae consequitur participium condicionali vi instructum.

d. off. 1, 2: sed tamen nostra legens ... orationem Latinam efficies *profecto* legendis nostris pleniorem.

d. leg. 1, 14: urbi ... requiescemus nec *profecto* nobis delectatio deerit aliud ex alio quaerentibus.

d. leg. fr. 1: sine corpore animo vigente divina vita est, sensu carente nihil *profecto* est mali.

d. rep. 6, 22: quibus amputatis cernis *profecto*, quantis in angustiis vestra se gloria dilatari velit.

Phil. 3, 36: his auctoribus et ducibus ... erimus *profecto* liberi brevi tempore.

Verr. 3, 221; Phil. 12, 26.

Deinde usurpatur *profecto*, ut relativis enuntiatis, quae se gerunt pro condicionibus, apodosis addatur.

Rosc. 123. ego sic existimo, qui quaeri velit ex iis, quos constat ... adfuisse, eum cupere verum invenire; qui recuset, eum *profecto*, tametsi verbo non audeat, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri.

d. rep. 3, 49; quod enim iure fit, *profecto* iuste fit.

Marc. 15: qui vero victor pacis auctores diligit, is *profecto* declarat se maluisse non dimicare quam vincere.

Tum eas affero enuntiationes, quarum apodosis, pendens ex temporali coniunctione, condicionalem vim exhibet.

Tusc. 1, 46: Atque ea *profecto* tum multo puriora et dilucidiora cernentur, cum, quo natura fert, liber animus pervenerit,

Tusc. 1, 109: sed *profecto* mors tum aequissimo animo oppetitur, cum suis se laudibus vita occidens consolari potest.

d. d. nat. 3, 63: quod cum facitis, illud *profecto* confitemini longe aliter se rem habere.

ep. 12, 22, 2: illud *profecto*, quoad potero, tuam famam et dignitatem tuebor.

Tusc. 2, 31: nam dum tibi turpe videbitur gemere ..., cedet *profecto* virtuti dolor.

Cornif. 4, 54 (etsi de vero »Rhetoricorum ad Herennium« auctore luculentissima Kayseri disputatione non dubitatur, ne opprobrio vertatur, quod ex illis sumpti loci inter Ciceronianos afferuntur): »cum agetur incolumitas perpetua civitatis, qui bonis erit rationibus praeditus, *profecto* nullum vitae discrimen sibi pro fortunis reipublicae fugiendum putabit.

Cornif. 4, 16: socii nostri cum belligerare nobiscum vellent, *profecto* ratiocinati essent, quid possent facere.

or. 119: omnia *profecto*, cum se a caelestibus rebus referet ad humanas, excelsius magnificentiusque et dicet et sentiet.

d. domo 54: cum eos ... adesse iussisti ..., tum *profecto* ostendisti vim tibi maxime displicere.

Postremo gravissimum illum quidem, sed adhuc, ut videtur, prorsus neglectum usum afferendum arbitror, quo saepissime *profecto* post adhortationes invenitur, ut significetur, quid ex loquentis arbitrio eventurum sit, cum alter huius voluntati satisfecerit. Imperativum autem modum, hac ratione usurpatum, condicionalis esse potestatis iam pridem est perspectum; velut »sequere me: omnia adipisceris« idem fere valet atque »si me secutus eris adipisceris.«

ep. 5, 13, 3: circumspice omnia membra rei publicae: nullum reperies *profecto*, quod non fractum debilitatumve sit.

de petit. 19: qua re hoc tibi faciendum est, ut ab iis quod debent, exigas commonendo ..., ut intellegant nullum tempus aliud se umquam habituros referendae gratiae: *profecto* homines et spe ... et recentibus beneficiis ad studium navandum excitabuntur.

de petit. 55: fac se ut abs te custodiri atque observari sciant: cum diligentiam tuam ..., tum *profecto* equestris ordinis erga te studium pertimescent.

Quinct. 79: quod abs te et a vobis ... quaeso, ut diligenter attendatis: *profecto* intellegetis illius ab initio cupiditatem pugnasse.

Rosc. 48: age nunc, refer animum sis ad veritatem ... iam *profecto* te intelleges inopia criminum summam laudem Sex. Roscio vitio et culpae dedisse.

Cluent. 160: atque, ut existimetis necessario me de his rebus ... pluribus egisse verbis, attendite reliqua: *profecto* intellegetis ea ... brevissime esse defensa.

Deiot. 40: Propone tibi duos reges et id animo contemplare, quod oculis non potes: dabis *profecto* id misericordiae, quod iracundiae denegasti.

d. causales enuntiationes.

Quando quidem causales enuntiationes aptissime cohaerent cum condicionibus, quatenus etiam causae iudicandae sunt condiciones, quae ad effectum sunt perductae, maxime est consentaneum »*profecto*« etiam in causalium enuntiationum apodosi adhiberi

non ad id significandum, quod reapse causam quandam consecutum est, sed quod ex eius opinione, qui verba facit, incertum est an consecutum vel consecuturum sit. Haec condicionalium causaliumque enuntiationum cognatio, de qua commodissime disputavit Aken. (Grundzüge der Lehre vom Tempus und Modus im Griechischen, Rostock 1861), planissime conspicitur in »siquidem« particulae usu et notione, quae quendam quasi transitum significat a condicionali usque ad causalem potestatem. Qua re in enumerandis locis primum afferamus hunc:

Tim. 12: Rectene igitur unum mundum diximus an fuit pluris aut innumerabilis dictu melius et verius? Unus *profecto*, siquidem factus est ad exemplum.

Praeterea commemoro:

d. fin. 1, 10: Quoniam forensibus operis . . . non deseruisse mihi videor praesidium, debeo *profecto* . . . in eo quoque elaborare, ut sint . . . doctiores cives mei.

d. rep. 1. fr. 1: Sed quoniam plura beneficia continet patria et est antiquior parens quam is, qui creavit, maior ei *profecto* quam parenti debetur gratia.

Att. 8, 11d, 8: quae quoniam ratio vincit, perficiam *profecto*, ut . . .

ep. 11, 2, 1: quae *profecto* quoniam istum animum habes, in optimam partem accipies.

Rosc. 30: qui libere dicat, qui cum fide defendat . . ., quoniam quidem suscepi, non deest *profecto*.

Enuntiatum illud: »quoniam quidem suscepi« ex Heusingeri auctoritate a novissimis editoribus spurium putatur nec immerito, namque totius ambitus sensus demonstrat illud prorsus esse supervacaneum, quin molestum.

d. d. nat. 1, 24.

quod:

Rosc. 120: quod vero apud vos ipsos in honore tanto sunt, *profecto* necesse est sciant aliquid . . .

cum:

Tusc. 1, 44: cum corporibus facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates . . ., *profecto* beati erimus, cum . . . cupiditatum erimus expertes.

Tusc. 5, 2: nam cum ea causa imputerit eos . . . ut totos se in optimo vitae statu exquirendo collocarent, *profecto* spe beate vivendi tantam in eo studio curam operamque posuerunt.

ep. 3, 1, 1: quod cum ita sit, perficiam *profecto*, ut . . .

ep. 13, 49, 1: cum antea commendationibus . . . auctoritatem suam tueri consuerit, nunc *profecto* . . . meis litteris assequi debet.

Verr. 2, 118: Cum . . . multi uno tempore a me . . . defendantur, *profecto* vereri non debeo, ne quis hoc . . . non existimet me summi officii ratione impulsum coactumque suscepisse.

Verr. 4, 82: qui cum res maximas gesserit, *profecto* volet haec . . . defendenda . . . tradere.

d. leg. agr. 2, 50; Phil. 5, 51.

Postremo est huius loci:

d. leg. 1, 5: potes autem tu *profecto* satisfacere in ea (sc. historia), quippe quom sit opus . . . unum hoc oratorium maxime.

At non modo ut consequentia causae adiciatur, adhibetur »*profecto*«, sed etiam in ipsis causis, si eae non generatim valent. Hac ratione invenitur »*profecto*« primum pone »nam«.

ep. 3, 9, 3: nam *profecto* non est meum . . . committere, ut . . .

Catil. 3, 19: nam *profecto* memoria tenetis.

Tusc. 1, 2; Att. 4, 17, 4; Planc. 87.

enim:

Tusc. 1, 94: nihil enim est *profecto* homini prudentia dulcius, quam ut . . . cetera auferat, adfert certe senectus.

Tusc. 4, 75: omnibus enim ex animi perturbationibus est *profecto* nulla vehementior.

Lael. 2: meministi enim *profecto* . . ., quanta esset hominum . . . admiratio.

d. div. 1, 23: sic enim se *profecto* res habet.

acad. 1, 24: dabitis enim *profecto* . . .

part. or. 71: omnia enim sunt *profecto* laudanda.

d. leg. 2, 69: id enim est *profecto*, quod constituta religione rem publicam contineat maxime.

d. d. nat. 1, 24: terra enim *profecto*, quoniam mundi pars est, pars est etiam dei.

Att. 10, 11, 2: vides enim *profecto* augustias.

ep. 5, 19, 2: est enim res *profecto* maxima.

ep. 9, 8, 1: nosti enim *profecto* os huius adulescentioris academiae.

ep. 15, 6, 1: ea est enim *profecto* iucunda laus, quae . . .

Verr. a. pr. 32: id enim consilii mihi *profecto* taciti dabitis.

Cluent. 188: iam enim videtis *profecto*, iudices.

Phil. 9, 7: is enim *profecto* mortem attulit, qui causa mortis fuit.

Att. 13, 23, 1: intellegis enim *profecto*, Att. 4, 16, 9; ep. 13, 21, 1; Rosc. 124; Verr. 2, 44; d. imp. 47; d. leg. agr. 3, 9; Phil. 1, 21;

etenim:

Rosc. 50: Etenim, qui praeesse agro colendo flagitium putes, *profecto* illum Atilium . . . hominem turpissimum iudicares.

d. leg. agr. 2, 17: etenim, cum omnes potestates . . . ab universo populo Romano proficisci convenit, tum eas *profecto* maxime, quae . . .

acad. 2, 6; d. har. resp. 57.

Quoniam in praecedente quaestione uberrime explanavimus, quomodo in primariis sententiis usurpetur »*profecto*«, et paucissimas certasque leges, ad quas hic latissime patens usus est revocandus, constituere conati sumus, restat, ut exploremus, num aut quemadmodum in secundariis quoque enuntiatis »*profecto*« adhibeatur. Hac quoque in re planissime apparet, quid inter certe et *profecto* particulas intersit. Illa enim, quippe quae saepissime totius enuntiati ratione non habita uni voci adhaereat, in variis secundariis enuntiatis exsistit: »*profecto*« vero tribus aut quattuor locis remotis nusquam ita invenitur et, quae videntur esse secundaria enuntiata, si paulo diligentius consideraris, pro primariis censebis habenda.

Exposuimus modo »*profecto*« particulam saepissime in causalibus enuntiatis primariis (nam, enim, etenim) inveniri; ter vero in secundariis quoque usurpatur:

Cato m. 13: quorsum igitur haec tam multa de Maximo? Quia *profecto* videtis nefas esse dictu miseram fuisse talem senectutem.

Quis est, qui ignoret hic particulam ad supplendam apodosim referri opus esse?

In duobus alteris locis enuntiatum secundarium fungitur munere apodosis alterius causalis sententiae:

Phil. 2, 19: Haec tu non propter audaciam dicis tam impudenter, sed quia, cum tantam rerum repugnantiam non videas, nihil *profecto* sapis.

d. rep. 3, 8: geram morem vobis . . ., quod quoniam qui aurum quaerunt non putant sibi recusandum, nos, cum iustitiam quaeramus, . . . nullam *profecto* molestiam fugere debemus.

Qui locus nobis quartus occurrit, exhibet peculiarem structuram, quae aliis locis non invenitur. Scriptum videmus

Att. 11, 8, 1: quantis curis conficiar, etsi *profecto* vides tamen cognosces ex Lepta et Trebatio.

Quod miramur, non quo haec constructio particulae *profecto* notione aliena sit, sed quod a communi usu abhorret; postremis demum temporibus transmutatio talis, qua in secundariam enuntiationem transmittitur »*profecto*«, in usu esse coepit; velut apud Lactantium.

Nunc aggrediamur ad pertractandos eos locos, quibus, ut supra commemoravi, primo aspectu in secundario enuntiato usurpatum videtur »*profecto*«. Namque saepissime invenitur in enuntiatis relativis, quae tamen forma potius quam sensu in secundariis numeranda sunt, ad fulciendam hypothesim quandam vel, ut recentiores dicunt, suppositionem, non nusquam eodem vel simili verbo adhibito. Quem usum iam p. 16. attigimus, ubi exposuimus, cuius generis condiciones esse debeant, ut talis confirmatio adhiberi possit.

Exempla rem demonstrabunt:

Lael. 48: Quam ob rem, si cadit in sapientem animi dolor, qui *profecto* cadit, . . . quae causa est, cur amicitiam . . . tollamus.

ep. 13, 64, 2: quare si te fautore usus erit, sicuti *profecto* utetur et usus est, amplissimas clientelas . . . confirmare poterit.

d. d. nat. 2, 78: atqui necesse est, cum sint dii, si modo sunt, ut *profecto* sunt, animantis esse.

Non dissimiles affero hos locos:

Att. 10, 4, 1: at deplorandi quidem, quod cotidie facimus, sit iam nobis aut finis omnino, si potest, aut moderatio quaedam quod *profecto* potest.

d. fin. 4, 66: si nihil est, quod tam miseros faciat quam impietas et scelus, ut iam omnes insipientes sint, miseri, quod *profecto* sunt, non est tamen aeque miser . . .

Quem usum iam pridem a viris doctis observatum illum quidem, sed non recte perspectum esse non commemorare non possum; vertebant enim illi »*profecto*« nostro »wirklich«, velut Anton (l. c. p. 23) quem supra ex Laelio deprompsimus locum »qui *profecto* cadit« vertit »und er findet wirklich Anwendung« His commodissime respondit C. F. W. Mueller (Lael. p. 331) hoc modo non *profecto* particulam verti, nam nostrum »wirklich« non tam ex illa affirmandi particula evadere, quam ex totius

enuntiati habitu atque colore. Et recte. Notissimum nonne est has locutiones: »wahrlich, wirklich, in der That« Latine non ad verbum reddi nisi oppositae sunt talibus, quae sunt: »specie verbo«, sin aliter, aut verborum collocatione aut totius circuitus conexu compensari?

Affero nunc ceteras enuntiationes relativas, quas parenthesis loco esse nemo non cognoscit.

d. fin. 2, 20: in alio vero libro . . . scribit his verbis, quae nota tibi *profecto* sunt — und diese sind dir doch wohl bekannt.

Att. 3, 9, 1: atque etiam illud timebam, quod *profecto* accidisset, ne a me digredi non posset.

Rosc. 150: sin ea crudelitas . . . vestros quoque animos — id quod fieri *profecto* non potest — duriores acerbioresque reddidit, actum est.

Font. 27: An si homines ipsos spectare convenit — id quod in teste *profecto* valere plurimum debet — non quisquam comparandus est . . .

Praeterea in censum veniunt:

or. 97; Att. 11, 3, 2; 12, 14, 3; 15, 11, 2; 3, 15, 3; 2, 20, 5; 2, 23, 3; ep. 4, 2, 2; 6, 1, 6; ad Br. 1, 16, 5; Font. 45; Mil. 2.

§ 3. Hac quoque quaestione ad finem perducta comprobasse videmur, quid Ciceroniani »*profecto*« particulae usus sit proprium, insigne, peculiare. Sin in extrema superiore disputatione intermisimus unoquoque loco notionem huius particulae enodare, ensuimus his ipsis locis planiorem eam esse, quam ut diserte exprimenda sit.

Qui restant loci, paucissimi sane prae ceteris, nunc proferentur, ne in levitatis reprehensionem opera nostra incurrat, atque nonnulli singillatim disserentur, praesertim cum occasio offeratur antiquioris usus vestigia quaedam indagandi.

Ac primum quidem »*profecto*«, ut supra apud Plautum et Terentium ostendimus, usurpatur in responsionibus, ita a comicorum poëtarum ratione abhorrens, ut interrogationes, quae praecedunt, rhetorici sint coloris atque — id quod est gravissimum — apud illos vis responsionis particula augeatur, apud Ciceronem vero potius diminuatur. Ad confirmandam responsionem utitur Cicero »certe« particula.

Exempli causa affero hunc locum:

d. d. nat. 1, 84: an tu mei similem putas esse aut tu deum? *profecto* non putas. — meinst du etwa, dass Gott dir oder

mir ähnlich wäre? das wirst du doch gewiss nicht glauben. Nos saepissime, ut coniectura quid colligamus, utimur futuro tempore, non aliter homo Latinus particula *profecto*.

d. invent. 1, 56: populus Thebanus id patieturne fieri? *Profecto* non patietur — gewiss wird es das nicht zugeben.

Cornif. 4, 23: at ille si vicisset, num idem fecisset? non *profecto* sapiens fuisset.

d. fin. 4, 32; Tusc. 1, 65; d. off. 3, 81; parad. 6, 48; d. or. 1, 50; Br. 186; Tim. 11, 12;

Hanc rhetoricam figuram in orationibus vulgo esse manifestum est; conferas velim:

Verr. 4, 15; Sest. 43; Balb. 16; 45; Mil. 31; Phil. 2, 2; 14, 23.

Multo magis ad antiquiorem accedit Ciceronianus usus, cum »*profecto*« additur verbo substantivo, ut aiunt grammatici, nec potest negari, si modo uspiam particulae *profecto* obtestandi vel asseverandi vis notatur, hic facillime posse fieri.

Tusc. 3, 6: est *profecto* animi medicina, philosophia.

d. div. 1, 47: est *profecto* quiddam etiam in barbaris gentibus praesentiens atque divinans.

Cat. m. 43: qui cum ex sua vita tum ex eius . . . facto iudicabant esse *profecto* aliquid natura pulchrum atque praeclarum.

Att. 10, 4, 11: est *profecto* nescio quid; sed velim, quam minimum.

Mil. 331: non fuit ea causa, iudices, *profecto* non fuit.

d. d. nat. 2, 16; Att. 12, 1, 2; d. imp. 47.

Mil. 69: erit, erit illud *profecto* tempus et illucescet aliquando ille dies, cum . . .

Hic numero tales quoque locutiones:

»*profecto* ita est« d. leg. 2, 40; Att. 12, 3, 1; ep. 11, 14, 1; Rosc. 121; Flacc. 53.

»sic *profecto* se res habet« d. divin. 1, 23; d. or. 2, 271; d. leg. 1, 58.

Hac data occasione admonemus aliquotiens in comparationibus usurpari *profecto*, non quo hic usus permultum ad hanc quaestionem pertineat, sed ut rem plene cumulateque perficiamus.

d. or. 1, 13: in hac ipsa civitate *profecto* nulla umquam vehementius quam eloquentiae studia viguerunt.

Tusc. 1, 94: nihil enim est *profecto* homini prudentia dulcius.

Tusc. 4, 75; d. invent. 1, 26; acad. 2, 143; d. leg. 1, 28; ep. 7, 10, 1.

In orationibus, in quibus tales comparationes vehementius fortiusque confirmari debent, »certe« particula in vulgo est.

Quoniam in eo est, ut peculiares quasdam structuras enumeremus, commemoro locutionem: »sed *profecto*«, quae saepius idque saepe hac verborum collocatione invenitur:

Tusc. 1, 109; 1, 118; d. or. 1, 135; d. leg. 1, 58; d. rep. 2, 20; Att. 3, 15, 4: ep. 3, 5, 2; 11, 4, 1.

d. leg. agr. 2, 35; Catil. 3, 23; Planc. 72.

uno verbo separantur »sed« et *profecto*:

or. 100; ad Qu. fr. 2, 2, 1; Sest. 17.

Complura interposita sunt verba:

d. off. 1, 2; d. or. 1, 76; 2, 361; 3, 215; or. 105.

d. leg. 1, 28; Att. 14, 13a, 2; Sull. 80; Phil. 5, 30.

at *profecto*:

Tusc. 1, 60; Rosc. 94.

Quanto in errore adhuc versati sint homines docti de *profecto* particulae usu atque notione, cum ex multis rebus tum inde apparet, quod plurimi, qui quidem hanc rem attigerint, docent usitatissimam esse locutionem »et *profecto*«. Quin etiam Anton (l. l. p. 14.) Handio opprobrio vertit, quod »et *profecto*« commemorare omisit; equidem hunc maxime collaudo, si recta huius rei cognitione commotus sit. Quid? quod ipse Cicero bis ex tam multis locis adhibuit »et *profecto*«:

d. leg. 2, 40: et *profecto* ita est.

div. in Caec. 70: et *profecto* aut hoc remedium est aegrotanti ... reipublicae ... aut si ne hoc quidem prodesse poterit, *profecto* nulla umquam medicina ... reperietur.

At quis est, quin cognoscat hunc usum vehementer distare ab ea ratione, qua recentiores et grammatici et scriptores hac particula utuntur? Ne his paucissimis quidem locis consentit vox illa praeceptis a grammaticis constitutis; namque illic *profecto* refertur ad »ita est,« id quod, ut supra demonstravimus, usitatissimum est, hic iterato *profecto* res paulo aliter se habet.

Qui tertius exstat locus ex epistula Vatini depromptus est:

ep. 5, 9, 2: ego tamen terra marique, ut conquiretur, praemandavi, et *profecto* tibi illum reperiam.«

Hanc locutionem raro usurpari prorsus respondet legi a nobis constitutae, quae vehementissime subverteretur, si ille usus usitatior esset. Quod autem illorum opinione »et *profecto*« sibi vult, significat potius »et hercule« vel »et mehercule« vel »et vero« —

und wahrlich, quibuscum miro quodam errore *profecto* confundebatur.

De locutione »nescio quis *profecto*« iam supra apud Terentianum usum recognoscendum disputatum est; hac occasione obiter commemoro *profecto* saepius pronomini »quidam« idque sine exceptione formis »quaedam« et »quiddam« coniungi.

profecto nescio quid: Att. 10, 4, 11; d. leg. agr. 2, 28.

quidam: Tusc. 1, 118; div. 1, 47; Att. 1, 11, 1; 12, 1, 2; ad Qu. fr. 2, 2, 1; Caec. 48; d. leg. agr. 2, 35; Sest. 17.

Quod attinet ad negationum usum apud *profecto*, tertia omnium locorum pars invenitur in negativis enuntiatis; saepissime reperitur »non« (duodequadragies), »numquam« (septies decies), »nihil« (quater et vicies), »nullus« (quater decies), »nemo« (novies), »neque« (sexies), »ne quidem« (bis p. Cluent. 160; Phil. 11, 32).

§ 4. Quae praecedunt, ἐν παρέργῳ attigimus, quoniam huius libelli ratio uberiorem de tam pusillis minutisque rebus disputationem non admittit; nunc in animo habeo proprio usu iam pertractato eos locos ex universo numero eligere, qui in primis de vera sinceraque nostrae particulae vi atque notione nos edoceant. Quid autem est, quod plus valeat ad recte particulae naturam cognoscendam, quam eos ipsos locos intueri, quibus »*profecto*« et »certe« una exstant?

Nonne luculentissime, quod supra in temporum personarumque usu explanavimus: *profecto* non primae, sed alterius aut tertiae esse personae, demonstratur, quod Cicero verbi causa ep. 13, 3, 1 dicit:

»Cui quibuscumque rebus commodaveris, tibi *profecto* iucundum, mihi certe erit gratum«?

Cicero M. Brutum adiens, ut Castronium quendam, honestum gravemque virum, tueatur, existimat non fore, ut Brutum huic voluntati satisfecisse paeniteat; immo iucundum futurum esse ei, si Castronio consuluisset, sibi vero ipsi Brutum magnopere gratificatum fore. Sin autem contrarium diceret Cicero: »Sibi certe iucundum, mihi *profecto* gratum«, maxima confirmaret fiducia Brutum fructum percepturum ex hac commendatione, ut quasi gratias agere deberet. Sed quid plura? Res ipsa loquitur.

Non dissimilis est huius loci ratio:

d. d. nat. 1, 5: »res enim nulla est, de qua ... tantopere ... docti dissentiant, quorum opiniones cum tam variae sint tamque inter se dissidentes, alterum fieri *profecto* potest, ut earum nulla, alterum certe non potest, ut plus una vera sit«. Notioni »posse« aptissime respondet *profecto*, »non posse« certe.

ep. 5, 13, 4: praestitimus enim patriae, non minus certe, quam debuimus, plus *profecto*, quam est ab animo cuiusquam aut consilio hominis postulatum.

d. prov. cons. 1: ac si princeps eam sententiam dicerem, laudaretis *profecto*, si solus, certe ignosceretis.

ep. 12, 22, 2: Ego certe reipublicae non deero ..., illud *profecto*, quoad potero, tuam famam et dignitatem tuebor.

Tusc. 1, 2: nam mores et instituta vitae nos *profecto* melius tuemur .. , rem vero publicam nostri maiores certe melioribus temperaverunt .., legibus. cf. p. 19.

Hoc in numero sunt hi quoque loci, qui certis iudiciis ipsi rem demonstrant:

Ex Hortensio exstat fragmentum apud Lactantium, inst. div. 3, 16, 5 (Müller IV, 3, 317): »*Profecto* omnis istorum disputatio ... vereor ne non tantum videatur attulisse negotii hominibus, quantam oblectationem.« Structura: »*profecto* vereor ne« demonstrat fieri non posse, ut affirmativa sit particula; namque ut »vereor ne non« subjective pro modo potentiali (ἄν c. opt.) dictum est, ita, quod coniunctum est, *profecto* hoc munere fungi haud scio an oporteat.

Rosc. 121: non ita est *profecto*, iudices; non est verisimile, ut Chrysogonus horum litteras adamarit aut humanitatem.

Hoc loco »non ita est *profecto*« et »non est veri simile« idem fere valere manifestum est et eiusdem esse gravitatis. cf. ad hunc locum Landgrafium (Ciceros Rede für Sex. Roscius, Erlg. 1884).

Att. 6, 5, 1: nunc quidem *profecto* Romae es; quo te, si ita est; salvum venisse gaudeo.

Nonne evidentissime ex succedente condicione apparet, quid significet »*profecto*«? Non subridiculum esset, quod antea affirmatum esset, postea condicione ambiguum dubiumque ponere?

Att. 12, 27, 2: et ego ex tuis animadverto litteris et *profecto* tu ex meis nihil habere nos, quod scribamus.

Hic quoque alterius personae *profecto* est particula.

Non alienum est per occasionem hunc locum commemorare:

Att. 14, 13a, 2: Sed mehercule, si humaniter et sapienter et amabiliter in me cogitare vis, facilem *profecto* te praebebis.

»Sed mehercule« incipit exclamationem, quae tamen, fortasse condicione interposita, delabitur ad pertenuem levemque affirmationem, si modo est affirmatio. »*Profecto*« vero praecedentis particulae vim potestatemque excipere vix quisquam arbitrabitur.

In extrema hac de notione potissimum instituta quaestione eos tres locos afferendos censeo, quibus adhibetur *profecto* in gradatione. Hac ratione perraro usurpari particulam maxime est consentaneum, cum ceterae affirmandi particulae huius figurae potestati multo aptius respondeant. Sed utut res se habet, nulla opera veram significationem aperiemus.

Tusc. 1, 60: si quid sit, hoc non vides, at quale sit, vides si ne id quidem, at quantum sit, *profecto* vides.

d. or. 1, 76: sed is, si qui esset aut si etiam umquam fuisset aut vero, si esse posset, tu esses unus *profecto*.

Quinct. 40: si debuisset, Sexte, petisses et petisses statim, si non statim, paulo quidem post; si non paulo, at aliquanto; sex quidem illis mensibus *profecto;* anno vertente sine controversia.

Si *profecto* idem atque »certe« significaret, fierine potest, ut sequentibus »sine controversia« sententia augeatur? An differunt inter se aliquanto »certe« et »sine controversia«?

His locis diligenter perpensis apparere videtur, quid inter »certe« et *profecto* intersit et quae huius sit vera integraque significatio. At quidni verba facimus de particularum *profecto* et »hercule« discrimine? Hoc exponere ideo est supervacaneum, quod vulgo »certe« et *profecto* promiscue usurpari creduntur, de »hercule« vero ceterarumque id genus vocularum notione in universum omnes consentiunt, nisi quod, ut supra attigimus, »et *profecto*« atque »et hercule« per errorem commutantur.

§ 5.

De *profecto* particulae collocatione.

Quam difficile sit certas quasdam leges constituere, quam sedem obtineat *profecto*, significat Hand, cum dicat: »Locus, quem particula in sententiis obtinuerit, saepe criticis dubitationem attulit. Ei vero vocobulo, quod maxime affirmandum est, aut praecedit aut sequitur.« Quamquam negari nequit collocationem particulae ad rationis praecepta revocare incertum esse, tamen omnibus locis consideratis si non certas leges, at tamen singulares proprietates, quae haud scio an criticis adiumentum quoddam afferant, indagare conabimur.

Ac primum quidem ostendamus, quomodo Handi praeceptum vacillet titubetque. Qui quod docet et praecedere et succedere voci, quae maxime sit affirmanda, particulam *profecto*, non recte

usum perspexisse videtur, cum paucissimis pro rata parte locis vocabulo, quod premitur, negationibus exceptis praecedat. Haec pro certo affirmare ausim:

Si enuntiati verbum premitur, sequitur particula (praeter quattuor locos).

Pronomen exceptis tribus locis sequitur *profecto* particula.

Negationi et praecedit et sequitur. Sin autem alia premuntur vocabula, paene sine exceptione succedit particula.

Quod ad peculiarem usum attinet, de collocatione huius particulae disputamus, cum coniungitur cum altera persona. Jam supra p. 23 ad Verr. 2, 44 diximus hac ipsa in re certas leges esse respiciendas, quae mea quidem sententia obstant, ne MÜLLERI lectionem »*profecto* enim negare non potes« probemus. Praesentis enim altera persona plerumque subsequitur particulam nulla voce interposita, separata vero a particula non invenitur nisi voculis: »non« (ep. 2, 4, 1; Deiot. 15: suspicari *profecto* non potes; d. d. nat. 1, 84); et »iam« (div. in Caec. 52); raro succedit altera persona; item sine vocabulo interposito, excepto »enim«:

Lael. 2; Att. 13, 23, 1; 10, 11, 2; ep. 9, 8, 1.

Sed talis collocatio, qualis MUELLERO l. l. placet, ab usu Ciceroniano prorsus videtur abhorrere.

Similiter res se habet in futuri altera persona, quae quidem saepius quam praesentis compluribus verbis, quin etiam toto enuntiato segregatur a particula, sed in universum id tenendum arbitror *profecto* aut ante aut post ipsam alteram personam collocari.

Exploremus nunc, si placet, quam sedem in periodis obtineat particula, quoniam de hac quoque re falsae pervulgatae sunt opiniones.

Si apodosis adhaeret protasi, longe plurimis locis particula primam occupat sedem — id quod iam WICHERT l. l. recte cognovit. At saepissime etiam alteram obtinet neque modo ex WICHERTI praeceptis, ubi primum pronomen vel enuntiati verbum vel »tum« praecedit, sed etiam alia, quae sunt premenda, vocabula:

Prioris generis sunt hi loci:

Tusc. 2, 31; 3, 41; 4, 5; or. 19; 105; 222; Br. 78, 198; d. petit. 55; d. d. nat. 3, 63; Att. 4, 2, 2; 8, 11d, 8; ep. 2, 16, 6; 3, 1, 1; 7, 1, 5; 9, 1, 2; 15, 4, 13; 15, 4, 15; ad Br. 1, 18, 1; ad Qu. fr. 1, 4, 2; consol. (MUELLER p. 335); Rosc. 123; Cluent. 7; d. leg. agr. 1, 27; Arch. 4; d. dom. 1, 84; Cael. 1, 53; d. prov. cons. 1; Mil. 4.

Alterius generis iudicandi sunt hi loci:

d. off. 3, 110; d. or. 3, 215; Att. 14, 13a, 2; 14, 17, 2; ep. 13, 49, 1; Rosc. 48; Caec. 48; Rab. 25; d. dom. 88; d. har. resp. 57; Phil. 5, 30.

Quin etiam tertio post protasim loco collocatum est *profecto*:

d. div. 1, 127; d. or. 1, 150; d. leg. 1, 1; d. d. nat. 1, 48; ep. 3, 2, 1; 5, 13, 3; Lig. 25; Phil. 1, 12.

Ante ipsam protasim, quam reliqua apodosis sequitur, est particula:

d. or. 1, 57; div. in Caec. 55; Verr. 2, 175; d. leg. agr. 2, 3; Arch. 16; Phil. 11, 23; Cael. 67; 33; Quint. 54; 46; Verr. 3, 72.

Protasis subsequitur apodosim, quae cadit in particulam *profecto*:

Att. 10, 11, 3; Catil. 3, 22.

§ 6. His peractis restat, ut pauca disseram, quemadmodum particulae *profecto* usus in varios Ciceronis libros distribuatur.

Ac primum quidem videmus in antiquioribus et libris et orationibus saepius inveniri particulam quam posteriore aetate, ut in libris de republica, de legibus, de oratore, de deorum natura (ut est apud grammaticos) multo copiosius usurpetur *profecto* quam in libris de finibus aut de officiis; item res se habet in orationibus. Latissime patet usus in orationibus pro Roscio Amerino et in Verrem habitis, multo angustius in posterioribus, ut in Philippicis, quae vocantur, orationibus.

Quod ad epistulas attinet, has ipsas particula nostra abundare in promptu est, quod in iis non nihil, quod *profecto* non adiecto arroganter dictum existimari possit, ex urbanitatis humanitatisque ratione hac particula mitigatur, sicuti Graeci adhibent modum optativum cum ἄν particula coniunctum. Quod mirum quantum ea re comprobatur, quod, quamvis usitata sit in epistulis particula, quarto decimo epistularum libro et sexto decimo ne semel quidem deprehenditur *profecto*. Namque, quae his libris continentur, epistulae datae sunt ad Terentiam uxorem liberosque et ad Tironem, Ciceronis libertum. Quodsi in illis Cicero non semper omnem locutionem diligenter perpendit, ut ne verecundiae fines transgrediatur, quis est, qui illi opprobrio vertat?

Ut omittam eas proprietates, quae ex ipsa rei natura consequuntur, velut usus alterius personae in epistulis, maxime est conspicuum in ipsis orationibus *profecto* saepe in irrealibus

condicionibus inveniri. Qui usus non tam ad particulae notionem enucleandam pertinet, quam ad illarum sententiarum veram vim potestatemque; sunt enim adeo non propriae condiciones, ut oratoriis ornamentis remotis merae causales sint periodi. In causalibus vero enuntiatis *profecto* saepissime et in epistulis et in philosophiae libris usurpatur. — Sed haec hactenus!

Quoniam totam de usu Ciceroniano quaestionem ad finem perduximus, non abs re esse videatur, quae adhuc explanavimus, breviter complecti:

Quam significationem particula *profecto* contra etymologiae rationes paulatim induerit, planissime ostendit Priscianus grammaticus, cum eam non particulis »certe, hercule, edepol etc.« exaequat, sed cum »nempe, videlicet, scilicet« comparat, quae quin subiectivae sint potestatis, non est dubium.

Ex hac perspicua atque aperta notione usurpatur *profecto* hoc modo:

a. Praecipue coniungitur alteri tertiaeque cum praesentis tum futuri personae, ut opinatio vel coniectura de alterius agendi ratione significetur, et paene idem valet quod coniunctivus potentialis (ἄν c. opt.).

b. usurpatur particula non nisi in primariis sententiis idque

1. in condicionum et realium et irrealium apodosi.
2. in apodosi causalium enuntiationum vel in ipsis causis, quae quidem sint primariae.
3. in relativis enuntiatis, quae parenthesis loco sunt.

Postremo negationum usus et coniunctionis »sed« commemorandus est. Qui ad »certe« particulam proxime accedit est usus velut in responsionibus et comparationibus et apud verbum substantivum, prae ceteris anguste coërcetur.

Hac totius quaestionis gravissima parte, qua Ciceronianum usum adumbrare instituimus, absoluta facere non possum quin eum virum commemorem, qui primus ex recentioribus criticis, quantum ego quidem scio, rectam illam a Muellero, magistro carissimo, perspectam significationem *profecto* particulae diserte comprobavit, Gustavum Landgraf; adnotat enim in Ciceronis pro Roscio Amerino orationis commentario p. 194 haec: Gegen Anton und Wichert, die *profecto* als Versicherungspartikel ansehen, wendet sich C. F. W. Mueller im Kommentar zum Laelius mit Recht.

III.

DE POSTERIORUM SCRIPTORUM USU.

Cum in multis rebus tum in hac quoque particula Ciceronis auctoritas posteriore aetate ita praevaluit, ut nova illa ac paene mira *profecto* particulae significatio et usus, quem Ciceronis operae maxime deberi manifestum est, magis magisque confirmaretur. Sed Ciceronem non principem hunc usum in litteras Latinas induxisse vel inde apparere videtur, quod iam apud eius aequales reperitur. Sallustius quidem persimili Ciceronis ratione particulam usurpat in condicionum apodosi:

1. realium: Iug. 4: qui si reputaverint . . ., *profecto* existimabunt. Iug. 31: qui si dediticius est, *profecto* iussis vestris oboediens erit.

or. Macri (Hist. 3, 61) § 11: Quae *profecto* in cassum agebantur, si priusquam vos . . . finem facturi erant.

Quo loco adnotandum est imperfectum, quod, ut supra demonstravimus, Ciceronis consuetudine alienum est.

2. irrealium: Iug. 27: ac ni C. Memmius populum Romanum edocuisset . . ., *profecto* omnis invidia dilapsa foret.

Iug. 56: Ac ni Marius evadere oppido properavisset, *profecto* cuncti fidem mutavissent.

Cat. 39; Iug. 102 (pro protasi condicionali posita hic est optativa).

Iug. 31.

»Sed *profecto*« est Cat. 8, 1; »et *profecto*«, quod, ut vidimus apud Ciceronem multo minus, quam vulgo existimatur, usitatum est, usurpatur: Iug. 85, 23: »Et *profecto* ita se res habet« et Iug. 85, 48: Et *profecto* deis iuvantibus omnia matura sunt.

»Nam *profecto*« est Cat. 51.

Ex aliis Ciceronis aequalibus Caesar numquam (exstant ex octavo commentariorum de bello Gallico libro et ex bello Hispaniensi singuli loci: 8, 21 et 25, 26.), Nepos semel usurpasse videntur particulam: Pelop. 2, 3: Magnae saepe res non ita magnis copiis sunt gestae, sed *profecto* numquam tam ab tenui initio tantae opes sunt profligatae.

Apud M. Varronem »*profecto*« non deprehendi.

Poëtas multo rarius usos esse hac subtili quadam tenuique particula non est pluribus explicandum.

Quod ad usum historicorum praeter Caesarem atque Nepotem attinet, Livius non mediocriter adhibet *profecto*, imprimis in prima tertiaque decade. Etsi huius usus non tam certis firmisque legibus astrictus est, quam Ciceronianus, tamen quae maxime est conspicua usurpatio, in condicionium apodosi, hic quoque praepollet, velut II, 28; 44; V, 5, 6; VII, 35; VIII 7; XXI. 41; XXII, 54; 59; Non est reticendum Livium in indirecta potissimum oratione uti nostra particula et omnino in »accusativo cum infinitivo«: I, 36; 50; 54; II. 28; 32; 44. III, 43; IV, 44; V, 15; 17; VIII, 27; XXI, 30; 22; 42; XXII. 35; XXIII, 45.

Cum discedimus a Valerio Maximo, qui quidem duodecies usurpat *profecto*, plerumque usitato more (I, 1, 14; 2, 5; III, 2 ext. 6; 3, 1; 7 ext. 1; V, 5, 4; VI, 3, 2; 8, 4; VII, 1, 2; 4, 3; 7, 5; VIII, 7, ext. 14), nunc subito prorsus evanescit quasi *profecto*. Apud Justinum, Velleium (bis), Tacitum (Handio auctore semel: Agr. 2), paene nihil invenitur; Plinius maior ex tot libris in praefatione semel (§ 17) et alterius libri tribus locis (1, 4; 9, 43; 63, 158) adhibet particulam idque hoc solo libro, quod eo commentatur magis de relatis rebus quam aliis libris. Ab utroque Seneca prorsus aliena esse videtur particula, quotienscumque eam usurpandi occasio est (praeter Sen. Herc. fur. v. 312). Quod ne Plinius minor quidem usurpat *profecto*, maxime est admirandum et demonstrat, quam non tum fuerit in usu consuetudineque; nam si cuiquam, certe illi occasio offerebatur eius in epistulis adhibendi. Quibusdam locis, ubi ex Ciceronis dicendi consuetudine *profecto* maxime est idoneum, vitasse paene videtur hanc particulam Plinius; exempli causa ex primo libro affero hos locos:

ep. 5, 13: »sed tu qui huius iudicii meministi, cur illius oblitus es.« Cicero haud scio an scripturus fuerit: »meministi *profecto*.«

ep. 6, 1: ridebis et licet rideas.

ep. 5, 3: idem fortasse eveniet tibi, si quando in nostra deverteris.

ep. 15, 3: invidisti nescio an tibi, certe mihi.

Si quis, quae in praecedente quaestione explanare studuimus, vel leviter considerarit, facile nonne concedet his ipsis locis Ciceronem usurpaturum fuisse *profecto* particulam? Nonne uterque hic locus luculentissime demonstrat »fortasse« et »nescio an« idem quod apud Ciceronem *profecto* valere?

ep. 22, 7: mirareris, si interesses, qua patientia hanc ipsam valetudinem tolleret.

Curtius quidem et Quintilianus iam saepius utuntur hac particula (ille quater decies; hic novies) et transitionem, ut ita dicam, faciunt ad illos, qui particulam paene oblitteratam resuscitant atque vindicant ab oblivione.

Curtius igitur, cui mea quidem sententia vel ideo, quod hac particula rectissime utitur, immerito particularum inopia opprobrio datur, artissime Livi auctoritati se applicans certos fines terminosque sibi constituit. Praeter usum in condicionum apodosi 3, 6, 12; 12, 19; 4, 7, 29; 13, 13 (et *profecto*); 8, 5, 14; 9, 8, 18 non parvi est momenti ad notionem recte cognoscendam, apud Curtium *profecto* more Liviano in structura accusativi cum infinitivo pendentis a verbo censendi poni — id quod in particulam plane affirmativam non conveniret, velut:

4, 4, 5: Utrisque laetus fuit beluae aspectus: Macedones iter iaciendo operi monstrasse eam augurabantur, Tyrii Neptunum .. abripuisse beluam ac molem brevi *profecto* ruituram.

4, 10, 31: ob haec ipsa amantis animus in sollicitudinem suspicionemque revolutus est, desiderium captivae *profecto* a consuetudine stupri ortum esse coniectans.

5, 11, 7: Bessus ... iudicium *profecto* Satronem detulisse credebat.

8, 3, 4: Ille ... ratus formae *profecto* fiducia cupere eam quam primum dedi Alexandro acinacem strinxit, percussurus uxorem.

9, 8, 18; 9, 1, 18.

Nec minus est insignis hic locus:

5, 9, 2: Sed Nabarzanes (et Bessus) ... regem comprehendere decreverant ea mente, ut ... tradito rege vivo inirent gratiam victoris, magni *profecto* cepisse Dareum aestimaturi.

Qui reliqui sequuntur loci (10, 5, 25 et 10, 5, 27, paene exclamativam exhibent significationem, quatenus *profecto* maiore vi paulo ampliorem locutionem, similiter atque quidam pronomen adiectivis appositum, confirmat, velut 10, 5, 25 »magnum *profecto* documentum« 10, 5, 27 »ingentes *profecto* dotes«

Sed iam plus iusto hic commorati sumus; pergamus proinde ad Quintilianum. Cuius usus ita differat a communi ut saepies *profecto* uni verbo adhaereat reliquo enuntiato neglecto, id quod supra in certe particula commemoravimus, velut: 9, 1, 18, 10, 1, 70; 11, 1, 71; 11, 3,9. In condicionis apodosis est: 10, 1, 20; cum futuro coniunctum 12, 7, 1; 11, 2, 16; in responsionibus 7, 1, 34 et 8, 3, 3.

Hadriani eiusque successorum aetate gliscente paulatim particulae usu nova atque clara lux ei affulsit Frontonis, Gelli, Apulei opera, qui quidem veteribus ad imitandum propositis cum Ciceronianum tum antiquiorem usum referunt, quo, ut demonstravimus, etiam exclamativa usurpatur particula *profecto* similiter atque »hercule«, non »certe«.

Ex his tribus maxime ad veteres se applicat Fronto, qui saepius ceteris *profecto* ad exclamandum vel confirmandum adhibet (circa decies), cum Apuleius non nisi quinque locis hunc usum admittat et omnino optimorum scriptorum auctoritatem sequatur. Ut supra observatum ordinem retineamus, in condicionum apodosi est *profecto* his locis:

Fronto (ed. Naber.) p. 9: non enim ille (sc. Ulixes) *profecto* εἰκοστῷ demum ἔτει venisset εἰς πατρίδα γαῖαν nisi γλυκὺς ὕπνος ἐπήλυθε κεκμηῶτα.

Fr. p. 11: Sed *profecto* nisi ex somno suscitatus esset, numquam somnium suum narrasset.

Fr. p. 28: O si dominus meus satis laudari posset, *profecto* a te satis laudatus esset.

Fr. p. 53; 177; 202; 226.

Apul. met. 5, 22: quo *profecto* fecisset, nisi ferrum . . . manibus temerariis delapsum evolasset.

Apul. d. magia 16: Quem tu librum si nosses, . . . *profecto* discendi cupidine speculum inviseres.

Apul. d. mag. 30: At si Vergilium legisses, *profecto* scisses . .

Apul. d. mag. 40: Quod Aristoteles si scisset, numquam *profecto* omisisset scripto prodere.

met. 5, 16; 6, 17; florid. 1, 2; de deo Socr. 10; d. mag. 2; 30; 86; d. dogm. Pl. 2, 11; d. mund. 23. Post optativam sententiam met. 7, 25.

Gellius 2, 26, 20; 4, 1, 12; 6, 22, 4.

»Sed *profecto*« invenitur:

Fr. p. 11; 53; 59; 209; Apul. d. mag. 58;

Gell. 1, 25, 10; 2, 8, 7; 6, 3, 9; 9, 12, 3 aliisque locis.

Postremo affero eum usum, qui proxime ad Ciceronianum accedit; *profecto* alteri personae appositum, ut opinatio de huius actione significetur:

Profecto intellegis Fr. 72.

Nosti *profecto* Apul. met. 3, 15;

meministis *profecto* Apul. flor. 3, 16.

Apul. d. magia 36: Pro tua eruditione legisti *profecto* Aristotelis περὶ ζώων γενέσεως . . .

Fr. p. 80; 155; Apul. met. 6, 23; d. mag. 17; 76; Gell. 4, 1, 15.

Non silentio praetereundum arbitror tres illos *profecto*, ut apud Livium primum significatum est, in oratione indirecta adhibere atque Gellium Apuleiumque in secundariis quoque enuntiatis, velut:

Gell. 1, 3, 29: Haec Theophrastus satis caute scripsit quoniam *profecto* causarum varietates . . . distinctum in rebus singulis praeceptum non capiunt.

Gell. 4, 3, 1: Memoriae traditum est . . . nullas rei uxoriae neque actiones neque cautiones in urbe Roma . . . fuisse, quoniam *profecto* nihil desiderabantur . . .

Quibus locis praeteritum tempus admonuerim.

Apul. d. dogm. Pl. 2, 22: Sapiens non modo merae voluptatis quidem alicuius gratia veniet ad agendum, nisi *profecto* fuerint honesta emolumenta virtutis.

Hic in ipsa condicione usus postremis temporibus saepius occurrit, id quod iam Wichert p. 36 apud Lactantium recte cognovit.

Protinus in posteriorum scriptorum usum inquirere supervacaneum videtur, quoniam ea ipsa, quae his extremis plagulis disputavimus, non tam ad totius quaestionis rationem pertinent, quam, quae in superiore commentatione evincere studuimus, illustrant atque explanant.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Lycurgi or. Leocrat. § 19 legendum censeo:

ὡς καὶ μεγάλα καταβλαβείη τῆς πεντηκοστῆς μετέχων αὐτῷ.

II.

Hyperidis or. funebr. col. XI. lin. 8 (ed. Babingt.) lacunam hac ratione expleverim:

εἰ γὰρ τοῖς ἄλλοις ὢν ἀνείκαστος θάνατος τούτοις ἀρχηγὸς μεγάλων ἀγαθῶν γέγονε.

III.

Flor. I, 1, 8 (Halm) scribendum propono:

cuius dum angustias Remus increpans alte transilit dubium an iussu fratris occisus est.

IV.

Quae et veteres et recentiores grammatici Latini de coniunctivi futurorum temporum usu praecipiunt, abhorrent ab optimorum scriptorum consuetudine.

V.

Mommseni de Cicerone iudicium non est probandum.

VI.

In puerili institutione modorum Latinorum syntaxim antecedere opus est casibus.

VITA.

Natus sum Siegfried Steinitz die XVI. mens. Sept. a. h. s. LXI in superioris Silesiae oppido Cosel parentibus Emanuel et Henriette e gente Bandmann, quos adhuc superstites esse vehementer gaudeo. Posteaquam primis litterarum elementis in oppido Loewenberg sum imbutus, parentes Vratislaviam transmigrantes ad gymnasium Elisabethanum me deduxerunt, quod quadriennium frequentavi. A. h. s. LXXV adii Johanneum, quod etiam nunc floret auspiciis v. d. C. F. W. Muelleri. Cuius viri eximia liberalitate comitateque ut semper me praebeam dignum, enixe operam dabo. Vere a. h. s. LXXXI maturitatis testimonio instructus a v. d. Hermanno Schwanert, penes quem tum fasces erant, huius academiae civium numero sum ascriptus. Per octo semestria interfui scholis horum virorum doctorum:

Caro, Dilthey, cuius suavissima consuetudine uti mihi licebat, Dove, Freudenthal, Galle, Gaspary, Hertz, Hillebrandt, Niese, Reifferscheid, Rossbach, Stenzler, Weber, Zacher.

Beneficio Rossbachi, qui aliis quoque in rebus consilio operaque liberalissime me adiuvit, receptus sum in regium philologorum seminarium, cuius partim extraordinarius partim ordinarius fui sodalis per tria semestria.

Omnibus his magistris, imprimis Hertzio, Reifferscheidio, Rossbachio permultum debeo eorumque beneficiorum me semper memorem fore polliceor.

Postremo facere non possum, quin v. d. Luebberto Bonnensi gratias agam quam maximas pro benevolentia benignitateque, qua multis locis me est prosecutus.